

# LIBER I.

## DECRETALIAM GREGORII

### PAPÆ, HUFUS NOMINIS IX.

#### PRÆLOQUIUM.



**A** Jove principium duci, occæcata cæteroquin gentilitas perspicue cognovit. Ad idem principium non tantum respexere Romani Pontifices, sed etiam Christiani Imperatores, dum isti suum Codicem, illi suos Canones ab immortalis Jove, Sanctissima & individua Trinitate, sunt auspiciati. Respicimus & nos ad illud principium, & Jurisprudentiam Canonico. Civilem sub invocatione & Auspiciis Sanctissimæ Triadis, Patris & Filii & Spiritus S. impresentiarum ita ordinur, ut illius honori & gloria caractere & apices omnes unice consecremus.

Et quia præcipuum fidei Catholicæ mysterium est eadem Divinissima Trias, una in essentia, & trina in personis cap. firmiter 1. cap. damnamus 2. de Summa Trinitate tam Pontifices Maximi, quam Augustissimi Imperatores fidem Catholicam DEO tri-uno connectunt. Ut proinde nos quoque pronò sequamur vestigiò, fidemque Orthodoxam juxta eum sensum, quem tenet & tenuit S. Mater Ecclesia, corde & ore profiteamur. Longiorem tamen illius explicationem vel ideò non suscipimus, ne falcem in alienam messem imisissè, & tractationem, quæ Theologis est propria, nobis vindicasse judicemur. Id unum contenti, pro foro Canonico subnotasse, quòd externa fidei professio per Leges Ecclesiasticas subinde præcipiatur.

Nempe ex Trid. Concil. Sess. 24. de Refor. cap. 12. provisi de beneficiis, curam animarum habentibus, de Canonicatibus, & Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, in manus Episcopi vel Generalis Vicarii professionem fidei emittere tenentur. Ad eandem fidei professionem ex Bulla Pii IV. quæ incipit: in junctum nobis, quorumcumque Regularium Ordinum Superiores obstringuntur. Similiter ex constitutione Pii V. quæ incipit: in Sacrosancta &c. fidem exterius profiteri jubentur omnes Doctores, Magistri, Regentes, & alii cujuscunque Facultatis & Artis Professores, sive Clerici sive Laici fuerint.

Porro cum Liber I. Decretalium in V. partes commodè possit dividi, ita ut in I. de Generalibus quibusdam Jurisprudentiæ principis; in II. de Modis, quibus ad dignitates & honores Ecclesiasticos ascenditur; in III. de Ordinibus seu Potestate Ordinis; in IV. de Potestate Jurisdictionis; in V. de Miscellaneis quibusdam materiis agatur: Nos eundem Librum modò non absimili dividentes, statim ab initio Jus Legale, tanquam fontale principium; moxque propter materiæ connexitatem, titulum Præscriptionis; dehinc Modos aquirendi Prælaturas Ecclesiasticas; postea tam Potestatem Ordinis quam Jurisdictionis, distinctis tractatibus, explicare constitimus; materias miscellaneas, à tit. XXXII. tractari solitas, ad Libros alios majori cum utilitate reservaturi.

TRAC-

# TRACTATUS I.

## DE JURE LEGALI.



Generalia Jurisprudentiæ nostræ principia sunt Leges, quarum cognitioni & interpretationi totam se mancipat. De his agitur in tit. II. III. & IV. Libri I. Decretalium; agitur in Institut. Lib. I. tit. II. agitur in Digestis Lib. I. tit. III. & IV. agitur in Codice Lib. I. tit. V. & seqq. Unde & nostri muneris erit, primam earundem Legum habere curam, non in genere tantum aliqua sub titulo & rubrica de *Jure Legali* subjiciendò, sed etiam ad species seorsim descendendò.

### CAPUT I.

#### De Jure Legali in genere.

Juris Legalis existentiam inquirere, non vacat. Inter plurima indubitata veritatis argumenta, ipsa humanæ infelicitatis origo, ex Adami lapsu contracta, luculenter eam demonstrat. Nec enim peccasset, aut peccare potuisset noster Protoparens, nisi Lex præcessisset; arguente sic & indicante Gentium Legatò ad Rom. 4. v. 15. ubi non est Lex, nec prævaricatio. Et ad Rom. 5. v. 13. peccatum autem non imputabatur, cum Lex non esset. Nihil itaque solliciti de Juris Legalis existentia, quantoties illius naturam genericam per definitionem & divisionem investigamus.

### SECTIO I.

#### De Definitione & Divisione Juris Legalis.

##### SUMMARIA.

1. Etymologia Juris Legalis. 2. & seqq. Homonymia. 10. Synonymia. 11. Nonnulla quaesita preliminariorum de Jure Legali. 12. & seqq. Ostenditur, quòd auctoritate publicè constitui debeat. 14. Requiritur ex parte Legislatoris jurisdictionem gubernativam. 15. Ex parte subditorum communitatem perfectam. 16. & seqq. Demonstratur, quòd respicere debeat bonum publicum. 20. & seqq. Reprehenduntur Legislatores, qui finem alium intendunt. 22. Landantur ceteri. 23. & seqq. Opposita referuntur, & refelluntur. 33. & seqq. Concluditur, & probatur, quòd Jus Legale non debeat esse necessario perpetuum. 37. & seqq. Præcuditur via subterfugii Adversariorum. 44. & seqq. Adducuntur, & repelluntur obfuscula. 51. & seqq. Assertur, & evincitur, quòd Jus Legale debeat promulgari. 54. & seqq. Proferuntur, & reinnuntur contraria. 60. & seqq. Assertur, & exponitur definitio Juris Legalis. 65. Proponitur discrimen inter Legem & præceptum. 66. Item inter Legem & Consilium. 67. Dividitur Jus Legale in Naturale & Positivum. 68. Positivum variè subdividitur. 69. & seqq. Dividitur etiam in Imperativum, prohibitivum, & permissivum. 74. & seqq. Dividitur quoque in favorabile & odiosum. 77. Dividitur denique in præceptivum & penale.

##### §. I.

#### Quid Nominis sit Jus Legale?

1. **S**itne Jus primitivum nomen, à nullo alio derivatum; an à Justitia appellatum? Quaestio est de nomine; non ideò tamen contentenda: quia, ut alicubi monet Epictetus, initium doctrinæ consideratio nominum. Prima opinio Gregorio Lopez Animadvers. cap. 1. num. 5. P. SCHMIEER JURISPR. CAN. CIV. TOM. I.
- placuit; nec displicere videtur Clarissimo P. Jacobo Wiestner in *Dissert. proem. ad Jus Canon. I.* Altera arrisit Celeberrimo Jcto nostro D. Joanni Balthasaro Braun in *suâ Jurisprud. p. 1. cap. 1. §. 1. n. 2.* & mihi probatur: eum Authores & Patronos habeat Ildorom.

in cap.



in cap. Jus generale 2. Dist. 1. ubi Jus inde dictum asserit, quod iustum sit, nec non Ulpianum in l. 1. in princ. ff. de J. & J. ubi discretis verbis Jus à Justitia fuisse appellatum, pronuntiat. Ratio hujus Etymologiae non incongrua datur ab Eruditissimo Commentatore Emanuele Gonzalez in Apparatu de Orig. & progr. Juris Can. n. 1. quia Jus est medium, per quod intendimus Justitiam.

2 Jus, ita derivatum, accipitur à Theologis & Jurisperitis diversimodè. I. enim significat idem, quod iustum seu æquale: vel quia illa, quæ ad æqualitatem reducuntur, vulgò iustitiam dicuntur, veluti notat Doctor Angelicus apud Authorem, mox citandū; vel, quia Jus est medium inter duo, quæ plus vel minus recipiunt, eaque ratione æquum vocatur, uti voluit Princeps Philofophorum apud Josephum Gibalinum Scientia Canonica lib. 3. cap. 1. quest. 1.

3 II. denotat legitimam facultatem aliqui agendi, obtinendi, impediendi; eoque pertinet celeberrima divisio Juris in Jus proprietatis & Jurisdictionis: de qua posteriori Juris specie, DEO auxiliante, in 17. §. & de priori in tom. 2. specialis discussio reperitur.

4 III. fumiatur pro statu & conditione, quam persona aut res habet ex determinatione Legis: quod sensu titulus tertius lib. 1.

5 IV. titulum, seu causam habendi, aut agendi commoustrat juxta l. si quis 10. in princ. ff. Si seruit. vindic. l. si cui 1. §. ult. v. vel ex jure impostam.

6 V. usurpationem ff. de Aqua & aqua pluvi. arc. V. usurpationem ff. de Aqua & aqua pluvi. arc. V. usurpationem ff. de Aqua & aqua pluvi. arc.

administratur 101. tit. ff. de Cod. de in Jus voc. l. un.

Cod. de Confess. VI. pro habitu & notitia Juris sæpissimè venit §. Jurisprudencia 1. Inst. l. Juri operam 1. in princ. §. 1. & passim ff. de J. & J. Videatur tract. præamb. cap. 1. VII. & ultimum (ut alias acceptiones minus solennes prætermittam) Jus pro constitutione & Legge, seu regula justæ operationis, receptissimâ phrasi accipitur §. ult. Inst. d. l. 1. §. 2. 3. & 4. de J. & J. 101. tit. Inst. de J. N. G. & C. Quemadmodum enim Medicinæ nomen in iudicium impositum est ad significandum medicamentum, quod ad sanandum prodest; inde verò translatum ad significandam artem ipsam, quæ id cognoscitur, & applicatur: ita pariter vocabulum Juris impositum est ad significandum iustum; inde verò traditum ad significandas Leges, quibus continetur, artemque ipsam, quæ cognoscitur, quid in actibus hominum iustum injustumve sit, veluti dicitur Ludovicus Molina de J. & J. 101. disp. 2. n. 1. Et hæc acceptio nostræ intentioni & dispectioni impositur serviet; in qua

Jus variis nominibus effertur. In l. Lex est 101. ff. de LL. commune præceptum; in ead. l. in fine, & l. seq. communis Reipublicæ sponso; in §. sed & 6. Inst. de J. N. G. & C. placitum; in l. leges 7. Cod. de LL. 101. tit. X. de Constitutionibus, & 101. tit. ff. de Constitut. Princ. constitutio; in cap. 1. 2. & 3. Dist. 1. & in tit. ff. & Cod. de LL. ac alibi frequentissimè Lex appellatur. Quæ ratio fuit, quod de Jure, quatenus est norma Legis humanarum actionum, tractatur, illud in tractatibus inscriptione Jus Legale nominaverim.

## §. II.

### Quid Rei sit Jus Legale?

11 **U**T Jus Legale secundum rem genuinâ & legitimâ definitione adumbretur, nonnulla dubia prius examinanda, & decidenda sunt. Primum est, debeatne Jus Legale autoritate publicâ constitui? Secundum, an bonum publicum respicere debeat? Tertium, an stabilitatem exigat? Quartum, an desideret promulgationem? Quoad primum dubium

12 Dico I. Omne Jus Legale publicâ autoritate constitui debet. Ita cum Magni nostri P. Pettschacher tract. de Legibus quest. 1. art. 3. omnes. Ratio est partim, quia Jus Legale ex conclus. seq. debet respicere bonum publicum: ergo etiam constitui debet autoritate publicâ: nam, ut loquitur citatus Author, qualis est ordo finium, talis est ordo causarum efficientium: partim, quia Jus Legale duplicem vim & virtutem exercet, directivam & coactivam: ergo autoritatem publicam supponat, necessum est, cum directio & coactio nequeat provenire ab alio, ac qui autoritate & potestate publicâ instructus est. Unde

14 Inferitur I. ex parte cujuscunque Legislatoris requiri potestatem gubernativam sive Jurisdictionis; nec sufficere œconomicam,

sive Dominationis: prior enim in bonum commune; posterior in privatum ordinatur.

Inferitur II. ex parte illorum, pro quibus Jus Legale constituitur, requiri non tantum subjectionem, sed etiam communitatem perfectam; collectionem scilicet plurium hominum, qui mutui subsidii & solatii causâ societatem inter se contrahere: neque enim bonum commune vel intendi, vel procurari potest, nisi præexistat communitas, cui bonum illud in effectu eveniat. Quoad alterum dubium

Dico II. Omne Jus Legale debet respicere bonum publicum & commune. Ita cum eodem Magnifico P. Pettschacher d. quest. 1. art. 2. rursum omnes. Ratio est I. quia Jus Legale est commune præceptum l. Lex est 1. ff. de LL. neque in singulas personas, sed generaliter constituitur, ut dicitur in l. jura 8. ff. ead. Ergo etiam finem generalem, seu communem respiciat, oportet. II. quia, ut 17 ex Divo Thoma demonstrant Sapientissimi nostri Sant-Gallenenses de LL. quest. 2. sect. 1. Jus Legale est principium extrinsecum, & regula actuum humanorum. Ergo idem est finis Legis & actuum humanorum. Atqui actuum humanorum finis est naturalis & supernaturalis

ralis felicitas, quæ est commune, seu universale bonum. Ergo idem universale bonum 18 finis est Legis. III. quia Potestas Legislativa ad bonum commune Principibus concessa legitur Sap. 6. v. 4. Rom. 13. v. 5. in quibus locis Principes Ministri DEI & communitatis appellantur. Ergo & ipsa Lex, à tali potestate

19 condita, ad similem finem ordinanda est. IV. quia, ut ex Cicerone refert Vasquius Illustr. controu. l. 1. c. 1. nam. 10. procuratio Reipublicæ non aliter quam tutela ad utilitatem eorum, qui commissi est, geri debet. Hæcque est certissima & characteristicam nota, discernendi legitimum Principem à Tyranno, quod ille ad publicam, iste ad suammet utilitatem Leges inflectere fudeat, ait cit. Vasquius cit. lib. cap. 30. num. 2.

20 Errant igitur, & toto aberrant cœlo, qui fallam rationem statūs, illam videlicet, quæ asseritur esse Jus Principum utilitari de servitiis, in suis constitutionibus & ordinationibus pro fine ponunt; qui, ut differit Clariff. & Colendiss. D. Collega D. Josephus Bonaventura Franz in Quæst. select. quest. 12. n. 6. libidine imperandi in transversum acti, omnia consilia & actiones suas ad sequentes dirigit regulas: Regi Imperium habere nihil injustum, quod utile: Sine injuria gubernari non potest Respublica: Si jus violandum, regni causâ violandum est: Sine veniunt, privata domus; de alienis curare, regia laus est.

21 Meminisse debent, teste Aristotele 3. Politic. non Regna propter Reges, sed Reges propter Regna constitutos esse: eamque sanam & sanctam statūs rationem censeri, quæ, definitur Clariff. D. Gletle Jurisprud. fundam. lib. 1. tit. 1. cap. 4. §. 5. num. 8. est norma politica, ad quam omnia consilia omnesque actiones in Republica dirigendæ, ut salus & incrementum communitatis procuretur.

22 Proderit itaque, si, ut plè æquè ac politicè præstantissimus ille Regni Poloniæ Marefcalus Lucas Opalenus lib. 2. Officiorum cap. 2. §. m. 158. „monumentis consignavit, si inquam, Imperii instituti finis, qui est bonum & commune, modum subditorum, rectè expendatur, & ad eum cuncta referantur: scientique, qui cò potuntur, se non suam rem agere, sed „populi. Atque ita Rempublicam administrant, ut agnoscat omnes, suam omnino salutem curari. Ita, quæ onerosæ erunt, levia, si proficua, videbuntur. Et ut æger Medico, sic populus parebit imperanti: utroque salutem, etsi per dura quandoque & aspera, procurant.

23 Contra hanc conclusionem militare videtur I. quod Leges de tuenda vita propria, de servando jejunio, de correctione fraterna, & aliæ ejus generis quamplures, in singulorum gratiam & favorem conscriptæ sint. II. quod privilegia Pupillis, Minorennibus, Mulieribus, Clericis, Religiosis &c. concessa, solum favorem personarum privilegiatarum 25 pro scopo suo agnoscent.

III. quod Leges vectigalium & tributorum unius Princi-

pis ærario conducant. IV. denique, quod, si unus mercator in civitate existeret, atque in illius duntaxat odium Legislator statutum promulgaret, ut nullus mercator in Ordinem Senatorium deinceps admittatur; tale statutum emolumentum communitatis non attenderet.

Sed facili operâ isthæc objecta diluuntur. 26 Ad primum negatur, in gratiam singulorum allegatas Leges emanasse. Quantumvis enim bonum, ex illis LL. resultans, singuli & soli sentiant, atamen in bonum universorum ex primario fine tendunt. Agit nempe Legislator cum partibus communitatis sicut Medicus cum membris corporis: uti namque hic primario & immediate totius individuali commodum spectat, & non nisi secundario membri ægotantis conservationem: sic ille principaliter intendit utilitatem communitatis, & non nisi secundario utilitatem partium, quatenus à communitate formaliter distinctæ sunt. Vide Sant-Gallenenses locò mox citandò.

Ad secundum Resp. si privilegia pro certo 27 personarum genere sint indulta, ea Legibus propriè dictis rectissime accenseri: neque enim opus est, ut Lex totius communitatis bonum ex æquo intendat, sed sufficit, si bonum personarum plurium, ad certum genus, ordinem, aut conditionem pertinentium, eum & istæ particularem communitatem conficiat, respiciat. Castropalao Operum Moral. part. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 1. n. 7.

28 Ut aded, dum Leges in bonum communitatis referendas esse dicimus, id oppositivè ad bonum personarum privatarum; non relativè ad totam communitatem, quatenus ex variis hominum cælibus coalescit, intelligere debeamus. P. Ferdinandus Krimer ad tit. Juris Canon. de Constitut. num. 91.

Sin privilegia 29 pro una tantummodò vel altera persona sunt data, degenerant à propria Legis natura, & induunt nomen Legis improprie per cap. privilegia 3. Dist. 3. ibi: privilegia sunt Leges privatarum, quasi privatae Leges: nam privilegium inde dictum est, quia in privata ferantur.

Ad tertium cum distinctione Resp. videntur 30 nempe, an Leges vectigalium & tributorum unius & soli Principis ærario proficiant; an autem exinde collecta pedagia aut quidagiam (sic vocantur in cap. super quibusdam 26. de P. S.) aut acceptæ pecuniæ in communem felicitatem & sublevationem effluant? Priorè casu aut injustitiam laborant maculâ; aut, si justæ sint, qualitatem hanc ex Jure Regalium emutuant. Posteriore casu uti pro termino habent præfixam boni publici salutem, ita in censum Legum proprietatum referuntur: interest enim Reipublicæ, Leges pro ærario condere posse.

Ad ultimum Resp. statutum de non admittendis mercatoribus ad Dignitatem Senatoriam Legis titulo salutandum esse, dummodò plures vel modò existant, vel aliquando extituri credantur. Neque enim ad Universitatem seu communitatem exigitur, ut defa-



32e. **Ex pluribus individuis constat, cum ex l. ficut 7. §. ult. ff. Quod cuiusque Universi, non a emini non perspicuum sit, Universitatem etiam in uno conservari, & superfluitate pol-**

32f. **Quod vero Legislator in casu proposito ex odio illud statutum sanciverit, tam parum destruit valorem Legis, si ex communem tranquillitatem promoveat, quam parum sinistra Judicis intentio destruit valorem sententiae, si aliunde aequitatis conformis esse deprehendatur. Magis siquidem in promotione boni communis spectatur intentio ipsius operis, quam operantis, uti loc. antea alleg. solertissimè adnotavit P. Pettschacher. Venio ad dubium tertium, &**

33 **Dico III. Jus Legale non debet esse necessarium perpetuum. Ita cum Glossa in cap. 1. de Constit. sentire videtur Pettschacher cit. quæst. 1. art. 3. v. infero 10. Ratio est I. quia Jus Legale, ut immediate conclusum est, debet ex primario fine in bonum communis tendere. At in bonum communis non semper tenderet, si deberet esse perpetuum. Sunt enim verò non pauca objecta, quæ ad tempus certum & determinatum commodè permittuntur, præcipiuntur, puniuntur, veterantur; perpetuo tamen ob varias circumstantias permitti, præcipi, puniri, veterari nequeunt; satis hoc insinuante D. Gregorio & Hieronymo in cap. 1. 2. & 3. Dist. 29.**

34 **Quid enim, si Summus Pontifex per Legem communem imperaret Principibus & personis Ecclesiasticis, ut pro bono publico Imperatori quot annis certam pecuniæ summam ex redditibus Ecclesiarum tam diu contribuant, quam diu bellum gesserit contra juratos Christiani-dum hostes, Turcas? Certè tale imperium veram Legem rationem participaret, quamquam perpetuum nec esset, nec forsitan esse possset. Quid, si auctoritate publicâ statueret, ut, durante obsidione, quisvis ex civibus frumentum, quod habet, venale exponat; ut, ingravescente annonâ, nullus extra provinciam frumentum evehat; ut, continuante bellò, nullus è patria ad terras alienò sole calentes egrediatur? Nunquid similia statuta Legis nomine honoranda forent, non attentò, quod perpetuitate ac stabilitate, quæ potius obesset, quam prodesset, eaerent?**

35 **Ratio est II. quòd Leges veteris Testamenti nemo hætenus à dignitate Legum propriè talium excluderit, cum tamen dogma sit nostræ fidei, pleræque verbi illis Legibus per adventum Incarnati Verbi expirasse, atque ex primaria Divini Legislatoris intentione virtutem obligandi non nisi ad usque tempus Testamenti Veteris habuisse. Similiter (ut à sacris ad profana declinamus) Edicta Prætoria in §. Prætorum 7. Inst. de F. N. G. & C. & in l. Jus autem 7. §. ult. ff. de F. & F. tanquam species Juris Legalis Civilis referuntur: neque tamen perpetuo vigeant, aut valebant, sed ad tempus annuum erant restricta pr. Inst. de Perpet. & temporal. act.**

37 **Ad has & alias rationes cum impugnatori-**

**bus meæ sententiæ Respondebis I. Leges debere perpetuas esse non positivè, seu absolute & sine fine, sed negativè, id est, sine determinatione certi temporis. Sed, amabo!; cur determinatio certi temporis officiat Legi, cum ex dictis omnibus sit conditionibus instructa, tametsi certo tempore reperiatur, alligata?**

39 **Quomodo negare potes, Legi Veteri certum tempus fuisse præfixum, cum dubiò procul ad Vitam & Mortem Christi Domini restricta credatur? Quòd in modò inficias ibis, Edicta Prætoria, quæ in citatis antea textibus annuntiantur Legibus, antequàm perennitatem acceperint, non habuisse terminum?**

41 **Respondebis II. ad Legem requiri perennitatem physico-moralem, quæ per commensurationem ad certum statum tandiù durat, donec unà cum statu aut circumstantiis expiret.**

42 **At non bene, ut video, conclusionem nostram ponderas, si tuâ hanc responsionem impugnarè putes. Nam & nobis ea insedit opinio, Legem, cui tempus aliquod præfixum non legitur, persistere, usque dum mutatis circumstantiis aut contrariâ Legislatoris voluntate cesset. Afferimus tamen, Legem non exspoliari naturâ suâ, tametsi certum intervallum pro sua duratione statutum habeat. Neque enim, ut nonnemo existimat, hujusmodi Lex temporalis in præceptum migrat, & cum Legislatoris morte desinit obligare: quia perinde præceptum ac Lex non respuit determinationem temporis, eò quòd paternitas, qui potestate Legislativâ caret, suis domesticis præceptum negativè vel moraliter perpetuum imponere valeat, absque eo, quòd Legis naturam induat.**

44 **Audiamus nunc, quæ ratio vel textus per multos in adversum dogma pertraxerit. Ratio hæc assertur: quia Lex, cum auctoritate publica, quæ stabilis est, feratur communitati, quæ itidem durationem æternam habet, similem longævitatem desiderare videtur.**

45 **Textus est tum in cap. ult. de Officiis Leg. ubi de statutis Legatorum Sedis Apostolicæ dicitur, ea perpetuo durare: tum in l. fatis 2. Cod. de div. Rescript. ibi: cum ea, quæ ad Jus scribuntur, perennia esse debeant: tum in l. edita 3. Cod. de Edendo: ibi: prout editi perpetui monet auctoritas.**

46 **Verùm hæc contra nos haud pugnant. Ratio enim opposita, siquid probaret, probaret nimium, nempe quòd Lex omnis non tantum ex intentione Legislatoris, sed etiam in opere ipso perennitatem expofcat contra DD. omnium unanimum sensum & sententiam, afferentium, Legem positivam à Legislatore ipso, ejus Successore, vel Superiore mutari, & abrogari posse, veluti suo loco docebitur. Sanè nec expediret, nec conducit, Legibus omnibus immortalitatem adstruere velle, dum in rebus mortalibus nil immutabile reperimus, ac, quam pro uno aut altero anno Legem proficuum fore reputavimus, pro annis sequentibus nocivam aut incommodam evasuram**

47 **prævidemus. Quem in finem optimè Bonifacius VIII. in cap. 24. de Sen. Excommunicat. in 6. in princ. alia mater Ecclesia, inquit, plerumque vovens nulla rationabiliter ordinat & consule, quæ suadente subditorum utilitate postmodum consultis ac rationabilibus revocari, in melius commutat. Consonant Bonifacio, Gregorius, & Hieronymus in dd. c. 1. 2. & 3. Dist. 29. Textus contrarii supponunt, Legem ordinariè perpetuam esse, si Legislator ad tempus determinatum illius valorem non coarctaverit; at Legem debere esse perpetuam, ne verbulo quidem edicunt.**

48 **Imò textus in memorat. l. fatis 2. Cod. de Div. Rescript. satis aperte nostræ sententiæ suffragatur, tantum abest, ut illi refragetur, cum rescripta secundum Jus veli quidem esse perennia, sed sub conditione, si tempus, in quo allegari vel audiri debent, non sit comprehensum: optimò argumentò, valori Rescriptorum justitiæ determinationem temporis spatium præfigi posse. Quin & ultimus textus in l. edita 3. Cod. de Edendo, dum editi perpetui mentionem facit, tacite innuit, edita Prætorum (quæ in censum Juris Legalis pertinere, multis licet reclamantibus, constat ex num. 17.) olim temporalia fuisse, antequàm per edictum, à Salvio Juliano temporibus Hadriani Imperatoris confirmatam, perpetuitatem acceperunt. Videatur textus in cit. princ. Inst. de Perpet. & tempor. act. & Henricus Zoëlius ad tit. ff. de F. & F. n. ult. Hæc de tertio dubio. Ad quartum**

49 **Dico IV. Omne Jus Legale requirit promulgationem. Illustrissimus Reding de LL. quæst. 16. art. 2. Controv. 3. n. 6. Magnif. Pettschacher, cit. loc. art. 4. Sapientissimus Suarez de LL. l. 1. cap. 11. Gibalinus Scientia Canonum. 2. l. 7. cap. 1. Hancque communiter esse receptam sententiam, unicò ferè dissentiente Dominicò Soto, perhibet Vasquius Illust. Controv. l. 1. cap. 44. num. 1.**

50 **Facit textus in cap. 3. dist. 4. ibi: Leges instituantur, cum promulgantur. Facit quoque textus in l. 9. Cod. de LL. ubi Imperatores Valentinianus & Martianus, Leges Sacratissimæ, inquirunt, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, ut universi, prescripto eorum manifestis cognitiò, vel inhibita declinent, vel permissa sententur.**

51 **Facit ratio convincens: quia Jus Legale esse altocum publicæ ad populum directæ, quæ sine manifestatione nequit intelligi: est regula directiva actuum humanorum, quæ, non cognita, non potest dirigere: est imperium practicum, obligans ad sui observantiam, quod, in mente imperantis retentum, subditos constringere non valet.**

52 **Obitare videtur I. cap. ad hæc 1. de Postulato. Pralat. ubi dicitur, ad hoc, ut constitutio obliget, sufficere, si quis novum, eam solemniter sceditam, aut publicè promulgatam. II. quòd Lex naturalis ab æterno extiterit, quæ tamen ob defectum subditorum non poterat promulgari.**

53 **III. quòd promulgatio Juris Legalis præsupponat Jus Legale jam constitutum: quod enim non est, nequit promulgari.**

57 **Sed nihil horum obstat. Ad I. Resp.**

cum Gonzalez in cap. cognoscens 3. de Constit. num. 10. textum in cap. ad hæc non disjunctivè sed copulativè, aut expofitivè accipiendum esse, ut sensus sit: Legem obligari, si solemniter fuerit edita, & (vel id est) publicè promulgata. Huncque sensum evincit ex contextu ipsissimi capituli, ubi in verbis immediate præcedentibus dicitur: non esse necessarium ad Legis obligationem, ipsius notitiam singularium auri-bus per speciale mandatum vel literas inculcare. Quæ verba abundè declarant, S. Pontificem non promulgationem generalem, sed specialem duntaxat, quæ singulis subditis sigillatim fiat, excludere voluisse. Conferatur etiam Barbosa de Dilectibus usqueq. dist. 46. n. 5. & 8. Ad II. Resp. cum Sant. Gallenibus d. sect. 5. 1. quæst. 3. Legem naturalem, antequàm creaturis rationalibus manifestata fuit, non fuisse Legem completam & perfectam, sed incompletam, imperfectam, & initiativam.

54 **Ad 3. III. eòdem ferè modò Resp. quòd promulgatio præsupponat Legem incompletè & in actu primo constitutam, in quantum nempe voluntas Legislatoris jam est determinata ad Legem, proximè subditis incrimandam; completatur verò, & in actu secundo ponatur per ipsam promulgationem, quatenus Lex subditorum mentes vinculo obligationis constringere non potest, nisi fuerit sensibilis & intimata. His itaque dubiis præliminatè discussis & decisis, nullò jam negotio definitionem Juris Legalis efformo, &**

55 **Dico V. Jus Legale in genere sumptum est ordinatio rationis in bonum commune, publicè auctoritate promulgata.**

56 **Dixi I. ordinatio rationis: id est, iustio & dispositio rationalis. Ut indicarem, ad Jus Legale duos actus concurrere, intellectus, & voluntatis. Actus intellectus intercedit, dum Legislator judicat, id, quod jubet, sanæ & rectæ rationi, ac Reipublicæ commoqu consentaneum esse. Actus voluntatis accedit, dum Legislator vult, à subditis observari, quod Reipublicæ bono & rectæ rationi consentaneum esse, judicavit.**

57 **Dixi II. in bonum commune: quæ particulè suam explicationem recipiunt ex n. 16. & seq. Cui hoc unum superaddere volo: Legem, sicut in dubio censetur esse rationabilis, sic etiam censeri Reipublicæ utilitati proficuum: eum enim in dubio ne quidem privatè fortis homines iniquitatis aut malitiæ reos proclamare, aut præsumere liceat, per ea, quæ vulgò à DD. notantur ad cap. ult. de Præsumpt. & l. merito 51. ff. Pro socio. multò minus Principem ex causa incertâ & dubia certè injulititè arguere, fas erit: eum in l. dispensato 3. Cod. de Crim. Sacrilog. sacrilegii ad instar esse dicatur, de Principali judicio diiutarè, vel dubitare velle.**

58 **Dixi III. publicè auctoritate, conformitè illis, quæ à num. 12. scripta sunt.**

59 **Dixi IV. promulgata. Adeòque Lex non promulgata non obligat, uti continuo inelamant, & inculcant omnium Scholarum Professores; & constat ex dictis à num. 21. Abstrahendò**



interim, an promulgatio sit de ratione seu essentia Legis; an solum applicatio illius in esse proximè obligativè jam completè constitutæ atque præsuppositæ? Quam quæstionem ex instituto ventitant Theologi; prætereant verò Juriste, contenti docuisse, & demonstrasse, quòd in actu secundo nulla Lex obliget, nisi promulgata.

65 Colligens ex dictis I. Jus Legale multùm differt à præcepto. I. enim differt ex causa efficiente: dum Jus Legale proficitur ab autoritate publicâ, gubernativâ, & Jurisdictionali; præceptum e contra etiâ à potestate privatâ, economicâ, & dominativâ procedere potest. II. differt ex subiecto: nam Juris Legalis nexu innodatur ipsâ communitas; præcepti verò ligamine personæ singu-

lares obstringuntur. III. differt ex causa finali: Jus Legale siquidem emolumentum & incrementum Reipublicæ; præceptum è diverso compendium & commodum personæ privatæ spectat.

Colligens II. inter Jus Legale & consilium 66 plurimas itidem differentias intercedere. Prima est: quòd Legale vinculum ab homine publico; consilium à quovis alio inducitur. Secunda: quòd consilium, secus ac Lex, in gratiam solius consulentis, seu consilium expetentis, dirigatur. Tertia: quia consilium non parit sequendi obligationem, quemadmodum Lex: cum in arbitrio slet consultantium, an suadenti morem gerere, an obniti velint. Gletle *Jurisprud. fund. l. 1. l. 2. cap. 4. §. 7. num. 1.*

## §. III.

## Quotuplex sit Jus Legale?

67 Prima & princeps Juris Legalis est divisio, quâ dispicitur in Jus Naturale & Positivum. Naturale dicitur, quod ex necessitate naturæ introductum, ab aliis *Necessarium* appellatur. Positivum describitur, quod ex libera voluntate positum est; indeque etiâ *Voluntarium*, seu *Arbitrarium* à multis vocatur.

68 Jus Positivum subdividitur in Divinum & Humanum. Humanum in scriptum, & non scriptum: sacrum & profanum; generale & speciale dividitur. Profanum rursus in universale seu Gentium, & particulare, seu Civile, idque Publicum, & Privatum dismembratur. De quibus omnibus & singulis membris per singula capita largiore dexterâ in subloquentibus agam.

69 Altera divisio est, quâ Jus Legale dividitur in imperativum & permissivum. Imperativum est vel affirmativum, vel negativum. *Affirmativum* est, quod pro objecto habet positionem actûs; seu, quò aliquid agendum præcipitur. *Negativum* est, quod pro objecto habet omissionem actûs; seu, quò aliquid agendum prohibetur.

Differentia inter Jus utrumque summò notanda est, quòd affirmativum in actu secundo non semper obstringat: cum virum humanarum infirmitas hominem in continuo motu & actu Legalis observantia versati, haud patiat. At verò negativum in actu secundo semper & pro semper obligat: quia huic solâ actûs prohibiti omissione, quæ utique non excedit mensuram humanæ potentie, satisficit. Jus permissivum est, quod nec præcipit, nec prohibet actum, sed negativè se habet, vel tolerandò actum, si malus non sit; vel, si malus, impunitatem extrinsecam concedendò.

72 Erunt fortassis, quibus stomachum hæc divisio moveat, existimantibus, Jus seu Legem permissivam, cum obligationem importet nullam, tanquam à genuina Legis indole degenere, respuendam esse. Verùm quia & Lex permittens potest esse ordinatio rationis ad bonum commune: quia insuper potest

obligare tum subditos, ne quempiam, actum Lege permissum exercere volentem, impediatur; tum Judices, ne in similem dictatione poenæ animadvertant: quia denique autoritate Legali nititur præacta divisio in I. *Legis virtus 7. ff. de LL. ibi: Legis virtus hæc est, imperare, vetare, permittere, punire*: hinc eam optimò Jure permitti posse, cenleo cum pluribus aliis, quibus accedit Magnif. Pettschacher de *LL. quest. 2. art. 1. in fine*. P. Ferdinandus Krimmer ad *tit. de Constit. n. 308*. Gletle p. 1. *quest. 9. §. 2. n. 4. circa fin.*

Tertia divisio est, quâ Jus Legale scinditur 74 in favorabile & odiosum. Favorabile nuncupamus, quod ex fine suo primario favorem aut gratiam impertiri desiderat. Odiosum nominamus, quod ex fine suo primario plectere, punire, aut aliò nocere nò odò intendit. Cuius divisionis discrepantia in eo cernitur, quòd Jus favorabile amplam & laxam; Jus odiosum strictam & arctam recipiat interpretationem, ut dictû supra in *rr. præamb. cap. 3. n. 82. & seqq.*

Dixi notanter: ex fine primario discernen- 75 dum esse, sitne Jus Legale favorabile an odiosum? Cæterò quin enim Jus omne favorabile dicendum foret, & simul odiosum: favorabile quidem, quatenus fertur in bonum communis; odiosum verò, quatenus obligationem, seu onus, imponit. Itaque si 76 Jus aut Lex primariò & specialiter intendat favere vel Religioni, vel Ecclesiis, vel Reipublicæ, vel causis piis &c. favorabile censetur; sin autem primariò & principaliter velit poenâ aut supplicium in transgressores fulminare, censetur odiosum. Conf. P. Wiestner ad *regulam Juris 15. in 6. à n. 2.*

Quarta divisio est, quâ Jus Legale dissectatur 77 in præceptivum & penale. Præceptivum definiunt, quod simpliciter aliquid præcipit, aut vetat. Penale vocant, quod transgressoribus poenam comminatur. Quæ & prior divisio propriè quidem ad solum Jus positivum pertinet; hic tamen vel idem non prætereunda videbatur, quia per decursum sæpius ponitur & supponi debet.

SEC.

SECTIO II  
De Objecto Juris Legalis.

## SUMMARIA.

78. Indicatur objectum Juris Legalis. 79. & seqq. Quaedam difficultates de actibus impossibilibus moventur. 83. & seqq. Prænotantur quaedam, ad solvendas difficultates. 88. & seq. Toti communitati non possunt impossibilia præcipi. 90. & seqq. Impossibilia de Jure nequidem privati imponi possunt. 95. & seq. Idem est de impossibilibus, naturaliter salubus. 97. & seqq. Impossibilia moraliter talia uni vel alteri in particulari possunt injungi. 103. & seq. Explicatur diversitas actuum interiorum. 106. & seq. Indirectè præcipi valent tam à Jure Civili. 108. & seq. Quam à Jure Canonico. 110. à Jure Divino possunt etiam directè præcipi. 111. & seq. Non autem à Jure Civili. 113. Jure Canonico directè præceptio defenditur. 114. & seqq. Prima probatio, cum refutatione responsonum contrariarum. 123. & seqq. Altera probatio cum simili refutatione. 130. & seqq. Tertia probatio & elisio intentionis adversæ. 135. & seqq. Quarta probatio cum pari elisione. 140. & seqq. Prima objectio cum sua solutione. 148. & seqq. Secunda objectio cum sua exenteratione. 161. & seqq. Delinantur varia virtutes. 164.

& seqq. Omnes actus omnium virtutum non eadè sunt sub præceptum. 168. & seqq. Quidam actus omnium virtutum sunt præceptibiles. 171. Alius tamen virtutum supernaturalium sunt extra spheram Jurisdictionis Civili. 172. Nov autem Juris Canonici. 173. Leges non feruntur de actibus præteritis. 174. & seqq. Si leges illa sint præceptiva. 178. & seqq. Aut propriè penales & vindicativa. 182. & seqq. Secus si sint improprè penales. 185. & seqq. Censura prærequirit notitiam Legis censurantis. 189. & seq. Leges irritantes tunc possunt attingere actus præteritos, quando jam antecederent erant prohibiti. 191. & seqq. Lex declarativa respicit actus, jam positos. 194. Proponitur quæstio de Principe, utrum possit per Legem anferre jus, subditis quæsitum? 195. & seqq. Concluditur, & demonstratur, id sine causa necessitatis vel utilitatis publicæ non licere. 203. & seqq. Rationes oppositæ diluantur. 209. & seqq. Concluditur, & demonstratur, id licere ex causa necessitatis vel utilitatis publicæ. 217. & seq. Quod tamen unisic ablatum est, ab aliis cum proportionem resarciri debet.

## §. I.

## Possintne actus impossibiles præcipi, vel prohiberi?

78 O BJECTUM Juris Legalis est vastissimum & latissimum. Quidquid enim præcipi, prohiberi, aut permitti potest, ad objectum Juris Legalis reducitur. Potest verò in genere prohiberi non tantum quòd malum, sed & in certis circumstantiis, quòd bonum est. Permitti potest, quòd bonum, indifferens, aut malum est, si evitatio majoris mali tolerantiam minoris efflagiet. Præcipi posse honesta & possibilia, tam certum & indubium est apud DD. ut in regulam Juris transferat, ad impossibilia neminem obligari per cap. 6. de R. I. in 6. & l. 185. ff. eod.

79 Nescio tamen, an aded plana & trita hæc sit regula, ut majorem explanationem aut explicationem non mereatur, si ad considerationem lateram appendatur I. textus in cap. in memoriam 3. Dist. 19. in quo piensissimus Romanorum Imperator Carolus pro reverentia & honore ad Sedem Apostolicam, feramus, inquit, & pia devotione toleremus jugum vix ferendum, quòd ab illa Sede imponitur. II. textus in cap. contra morem Dist. 100. ubi Gregorius Magnus contra morem Ecclesiasticum esse, asserit, si non patientissimè toleretur etiam injusta correctio; quæ tamen injusta correctio vix non intolerabilis & impossibilis non paucis

81 apparet. III. textus in cap. 23. *Matthæi*, ubi Divina & Incarnata Veritas, perfringit e quidem illos, qui sedentes supra Cathedram Moysis imponebant onera gravia & importa-

bilia, disertè tamen in v. 3. præcipit: *Quæcumque dixeritis vobis, facite*; quasi videlicet nullâ excusatione quis à Jure Legis late se lice eximere debeat, quamvis consideratis omnibus impossibilitatem continere videatur. IV. textus 82 in Sacra Beatissimi Patris Benedicti Regula cap. 68. cuius hæc est sententia: *Si cui fratri aliqua forte gravia aut impossibilia injunguntur, suscipiat quidem subventis imperium cum omni mansuetudine & obedientia. Quodsi omninò virinum suarum mensuram viderit pondus excedere, impossibilitatis sua causas ei, qui sibi præst, patienter & opportuni suggerat, non superbendo, aut resistendo vel contradicendo. Quodsi post suggestionem suam in sua sententia Prioris imperium perduraverit, sciat junior, ita sibi expedire, & ex charitate considerens de adversario DEI obediat. Quibus verbis prudentissimus iste Legislator æquè potestatem præcipiendi, ac obligationem faciendi impossibilia satis luculenter expressit.*

Uc igitur hæc difficultates, quæ major fortitan est, quam primâ facie apparet, solide discutiantur: prænotandum duxi I. impossibilitatem juxta Augustinum Barbofam in cap. 6. de R. I. in 6. n. 2. generatim esse duplicem, de Jure, & de facto. Impossibilitas de Jure dicitur, quando Jus ipsum, Naturale vel Positivum, impedimento est, quò minus aliquid facere possimus. Nam, ut Christianè & religiosè edisseruit Ethnicus alioquin Jctus Papinianus in l. filius 15. ff. de Condit. Institut. quæ facta



facta ledunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores sunt, nec facere nos posse, credendum est.

84 Impossibilitas de facto vel est naturalis, vel moralis, sive politica. Impossibilitas naturalis compellatur, quando natura resistit, quod minus aliquid efficere queat humana potentia; sive, quod in idem redit, quando res præcepta, spectatis humanæ constitutionis viribus, citra miraculum fieri nequit, veluti si quis fontem excitare, montes transferre, mortuos suscitare, compelleretur. Impossibilitas moralis seu politica, nuncupatur, cum res præcepta non quidem humanam potentiam transcendit, attamen ardua & valde difficilis est. Talis impossibilitas erat, quando Genes. 22. §. 2. Abrahamus unicum suum filium paternâ dexterâ jugulare; & Princeps Apostolorum Aclor. 10. §. 2. & seq. reptilia, serpentes, & bestias terræ mactare, ac comedere Divinò imperiò jussi fuere.

86 Prænotandum II. non obligari Superiorem, quicumque ille sit, ut præcepta impossibilia imponat. Si enim textus in num. 37. recitatos penitentiâs trucidare velimus, deprehendemus, non fuisse datum præceptum Superioribus, ut præcipiant impossibilia; sed doctrinam fuisse traditam inferioribus, ut sciant, quid agere oporteat in casu & datâ hypothesi, si filia injungantur, uti hoc ipsum ad cit. Regulâ Benedicte caput 68. peripaciter advertit Reverendissimus Antonius Perez in Commentar. ibid. n. 3.

87 Prænotandum III. impossibilia dupliciter injungi posse. I. ut totam communitatem afficiat onus, exequendi impossibilia. II. ut jugum hoc subeant unus aut alter de communitate. Quibus prænotatis, Dico I. Nequit Superior quicumque aliqua impossibilia toti communitati præcipere. Ita laudatus Reverendiss. Perez cit. num. 2. & Illustriss. Caramuel in Theol. fundament. Edit. Francofurt. 1652. num. 741. Ratio est: quia Lex communis debet esse accommodata fragilitati subditorum, nec plus incommodi, quam commodi afferre communitati. Ergo nequit Superior toti communitati per Legem præcipere impossibilia: quia tale præceptum fragilitati subditorum repugnaret. Confirmatur. Nequit Superior suâ constitutione ansam & fibulam laxare peccatis; hoc ipsò quòd potestatem constituendi non in destructionem, sed ædificationem subditorum adeptus sit. Ergo nequit Legem, quomodocumque impossibilem, imponere communitati. Sunt enim in plerisque communitatibus plures inbecilles, quam fortes; imperfecti, quam perfecti; qui utique Legis tramites facile transcenderent, si quòvis tandem modò impossibilem judicarent.

90 Dico II. Impossibilia de Jure nequidem privatis personis imponi possunt. Ita præcatus Caramuel num. 739. Reverendiss. Ascarius Tamburinus de Jure Abbat. tom. 2. diff. 20. quest. 9. & in fallor omnes sani scriptores.

Ratio est: partim, quia ex n. 38. non datur. 91  
possibilitas Juridica ad actum inhonestum. Ergo etiam non datur præceptum ad actum similem: frustra enim præcipitur, quòd a subdito sperari non potest: partim quia, ut statim advertimus, potestas imperandi non in destructionem, sed ædificationem Superioribus indulta cognoscitur; adeoque ad illicita, quæ non ædificant, sed destruunt spirituales animarum salutem, se extendere nequit: partim, quia præceptum nec univèrsis nec singulis in bonum cedit, cujus observantia summum in orbe malum, peccatum, operatur.

Hinc D. Benedicte cap. 2. Reg. pro incomparabili sua Sapientia disposuit, quòd Abbas nihil extra præceptum Domini (hoc est, interprete Percezio ad d. cap. num. 6. contra Divinam Legem) docere, constituere, aut jubere debeat. Valde enim perversum est, scribit Doctor Mellissius Epist. 6. profiteri te obedientiam, in quo noceris Superioriorem propter inferiorem, id est, Divinam propter humanam solvere obedientiam. Quid enim? Quòd jubet homo, prohibet DEUS: & ego audiam hominem, surdus DEO? Succinit D. Augustinus relatus in cap. 93. XI. q. 3. si Dominus, inquit; ea jubet, quæ non sunt adversa Scripturis Sanctis, subjiciatur servus Domino. Si vero contraria præcipit, magis obediat Spiritus, quam corpus Domino. Cujusmodi textus plures videre est in cap. 94. & seq. ead. XI. q. 3.

Dico III. Neque impossibilia de facto naturaliter talia quòvis modò præcipi possunt. Ita Joannes Bertels in cap. 68. Reg. Dial. 16. apud & cum Caramuele ubi supra num. 212. & seq. Ratio est I. quia facere quis non potest, quæ non possunt fieri. Ergo etiam præcipi non potest, ut quis faciat, quæ fieri non possunt. II. quia quæ DEUS non vult, ut faciamus, non debet aut potest velle homo, ut fiat. DEUS autem, teste Hypotheni Præsule, impossibilia non jubet. Sed, ut loquitur Concil. Trident. Sess. 6. de Justificatione, cap. 11. jubendò monet, & facere, quòd possis; & perere, quòd non possis; & adjucare, ut possis; quivè dixerit, DEI præcepta homini etiam justificato & sub gratia confuturo esse ad observandam impossibilia, anathema proclamatur ab eodem Concil. 4. Sess. ead. 18.

Dico IV. Impossibilia moraliter seu politice talia uni vel alteri in particulari injungi possunt. Ita Caramuel in cit. Theol. fundam. n. 706. Perez in cit. cap. Reg. 68. num. 5. & 6. Constat hæc conclusio ex textibus in num. 37. addactis, qui, cum de impossibilibus, de Jure aut Naturâ implicantibus, exponi non possunt, per ea, quæ hæctenus operosè deducta sunt; exponi debent de impossibilibus moraliter & politice talibus, quæ videlicet ardua, difficilia, & factu gravia sunt. Singula- 98

riter id de Benedicte in ex cit. cap. Reg. probat Joannes Bertels apud memoratum Caramuele, lem Dial. 26. ubi, non dubito, subinfert, quia multi, dum hæc (quæ S. Benedicte cap. 68. scribit) audiunt, turbentur; & argutantes, quòd

quòd insanum & stultum sit, homines ad impossibilia cogere. Ad quòd ego: cui Dominum jugum suave & onus leve, illi nihil arduum, & asperum nihil; & ubi nulla supra nos sunt mandata, ibi nulla impossibilia. Dicam clariùs, & exempli loco. Logice passim utuntur illò terminò Impossibilia, non quidem quòd superari nullò modò possint, sed cum grandi difficultate. Impossibile ergo hic sumitur pro eo, quòd difficile est factu, aut videtur. Quæ doctrina confirmari potest ex hoc: quia S. Pater non absolute de impossibilibus loquitur, sed de gravibus aut impossibilibus; quibus vocabulis non diversificat, sed conjunctivè; non pro distinctis, sed synonymis usus fuisse, ac nomine impossibili non naturalia, sed moralia, hoc est, gravissima vel difficillima significasse, videtur. Ratio autem positæ conclusionis est: quòd non tantum Religiosi, verum & alii cujuscunque status aut ordinis homines obedientiam Superioribus suis prællare tenentur; & quidem juxta monitum & mentem D. Petri

Epist. 1. c. 2. v. 18. non tantum bonis & modestis, sed etiam discipulis; quòd ipsum satis difficile & multis impossibile moraliter accidit, illi parere, quem ob vitæ & morum decorem honestatem non tantum veneratione, sed etiam imperiò judicant indignum. Interim, quia Religiosi peculiari votò spondent obedientiam Prælato, faciliùs istis, quam secularibus difficulta imponi possunt. Quamvis cum magna circumspectione & consideratione id fieri debere, censam, ne contra Apostolum, jam sæpius auditum, potestas præceptiva magis in destructionem quam ædificationem utatur. Quæ in re ante oculos habendum, quòd saluberrimè monet D. Benedicte cap. 2. Reg. ut Abbas secundum animusque qualitatè vel intelligentiam; ita se omnibus conformet & aperet, ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiantur, verum etiam in augmentatione boni gregis gaudeat. Nec minus attendendum illud Regulæ D. Augustini cap. 11. qui præest, non se existimes potestate dominante, sed charitate serviente felicem.

§. II.

Possintne actus interni præcipi, vel prohiberi? v. ad margin. n. 100.

100 U T in hac solenni & quotidiana questione secutò vestigiò procedamus, certa ab incertis fecerimus, ac

Supponimus I. actum internum dici, qui intra mentis latebras consistit; eumque nonnunquam cum actu externo conjunctum, nonnunquam ab eo penitus esse separatum.

104 Conjunctus est, quando vel ad esse physicum, vel ad esse morale actus externi requiritur. Sic ad contrahendum, solvendum, contribuendum necessarius est actus internus voluntatis, sine quo nec contractus, nec solutio, nec contributio fiet in esse physico. Sic in Baptismo intentio conscientis Sacramentum; in Confessione Sacramentali internus animi dolor; in Confessario attentio ad peccata exposita, quoad esse morale actus requiritur: his enim actibus, intentione, contributione, attentione, prætermisiss, Baptismus, Confessio, & Absolutio in esse moris neutiquam ponuntur. Separatus est, quando sine adminiculo actus interni externus in esse tam physico quam morali constitui potest. Sic determinata intentio offerendi elemosynam vel orationem pro animabus in purgatorio cum actu externo elemosynæ nec in esse physico, nec in esse morali conjunctionem habet.

106 Supponimus II. actum internum cum externo conjunctum saltem indirectè, ab humana etiam potestate, præcipi vel prohiberi posse. Ita cum pluribus à se allegatis tenet Vir insignis & solidæ literaturæ P. Alphonsus Wenzl in Vindem. Theolog. Quest. 13. respons. 1. Hæc opinio ex luculentissimis Utriusque Juris testimoniis evidenter eruitur. In Jure Civili extat textus in l. bonam fidem 4. Col. de O. & A. ubi bona fides, hoc est, sinceritas animi P. SCHMIEB JURISPR. CAN. CIV. TOM. I.

in contrahendo requiritur. Item in l. non multum 14. ff. de Author. & Cons. tut. ubi in tutore pro autoritate præstanta requiritur attentio ad negotium, quòd geritur eum pupillo. Item in l. possessio 1. §. 3. & seq. l. possidere 3. in princ. & passim ff. de acquir. vel amitt. Possess. ubi ad possessionem animus possidendi unicum apprehensionis externa requiritur. Item in l. si ego 18. in pr. & §. 1. ff. de R. C. l. cum in corpus 36. ff. de A. R. D. l. in omnibus rebus 55. l. in omnibus negotiis 57. ff. de O. & A. ubi circa animum transferendi dominium variè disponunt Jura Civilia.

In Jure Canonico in cap. dolentes 9. de Celobrat. Missar. in recitando Breviario præcipitur devotio. In cap. commissio 35. de Elect. in 6. provisio & promotio ad beneficia Parochialia sub privatione & restitutione fructuum injungitur, ut habeant animum recipiendi Presbyteratuum intra annum. In c. omnis heretice seculis 12. de Penit. & Remiss. annua Confessio, quæ præter manifestationem secretorum cordis internum quoque dolorem includit, sub præcepto præponitur. In Clem. 1. §. verum de Heretic. sub excommunicatione prohibetur, ne inquisitio in hereticos odii, gratiæ, vel amoris, lucri, aut comodi temporalis obtentu intermittat. In Clem. 1. §. quia verò de Statu Monach. itidem sub excommunicatione, ipsò factò incurrendâ, veatur Monachis & Canonicis Regularibus, ne ad Curias Principum eò accedant animò, ut suis Prælatis vel Monasteriis damnium aliquod inferant. Ut nihil interea commemorem de propositionibus damnatis, circa actus internos versantibus, quarum consideratione moti celeberrimi DD. P. Joannes Cardenas in Crisi Theol. dissertat. 34. cap. 2. art. 1. num. 10. & nosser P. Petrus de Murga



Murga *Oper. Canonico. Moral. tit. 1. quæst. 7. n. 14.* oppositam opinionem antiquatam & improbabilem pronuntiatur.

110 Supponimus III. actum merè internum, atque ab omni externo separatam, Jure Naturali & Divinò præcipi, aut prohiberi posse. Cùm enim æquè potentia internæ, intellectus, voluntas, & memoria, quàm externæ, Divino Numini, quod renes & corda scrutatur, pateant, nulla est dubitatio, quin Divino & Naturali Juri actus internus subesse valeat. Castropalao *cit. disp. de LL. pontif. 6. n. 1.* Ut aded tota lis & altercatio de Jure & Legislatore humano moveatur. In qua ut mentem meam distinctè pandam,

111 Dico I. Legislator humanus politicus nequit præcipere, vel prohibere actus merè internos. Castropalao *cit. pontif. 6. n. 2.* Gletle *Jurisprud. fund. cap. 4. §. 4. n. 5.* & alii turmatim. Ratio est: quia actus merè internus nil confert ad finem, à Legislatore politico intentum. Hic enim intendit salvam & factam conservare Reipublicæ quietem & tranquillitatem; ad quam per se loquendò nil facit, utrum actus

112 merè internus ponatur, an omittatur. Certè cùm finis proximus Reipublicæ politicæ, uti & potestatis Legislativæ, eidem ab Authore Naturæ, DEO Opt. Max. collatæ, naturalis sit; naturalia quoque media, qualia sunt actus visibiles & sensibiles, ad eundem finem, conducere videntur.

113 Dico II. Legislator Ecclesiasticus potest præcipere, vel prohibere actum merè internum. Est sententia pauciorum, magni tamen nominis Doctorum. Glossæ in *Clem. 1. §. verum, verb. eo ipso.* Roskæ *verb. absolutio 1. n. 28. & 29.* Joannis Gardenas in *Crisi Theol. d. dissert. 34. art. 2. 3. & 4.* Petri de Murga *cit. quæst. 7. num. 14. & 28.* Eximii P. Alphonsi Wenzl *cit. Pind. q. 13. resolut. 2.* Josephi Bernardi Gletle *cit. §. 3. num. 6.* ac novissimè Clarissimi mihi que Colendissimi D. P. Petri Guetrather *Institut. Canon. lib. 1. tit. 3. n. 49.*

114 Probatur I. potuit DEUS suo in terris Viçario, Legislatore Ecclesiastico, dare potestatem, actus merè internos præcipiendi, vel prohibendi. Ergo de facto dedit. Antec. vix aliquis ex Adversarij negabit; idque nominatim admittunt Suarez *l. 4. de LL. cap. 12. num. 6.* Palao *cit. n. 2.* Magnificus P. Petrus Schacher *quæst. 4. art. 8. §. 2.* quia videlicet neque ex parte dantis, neque ex parte recipientis ulla fe prodit implicancia. Conseq. prob. Potestatem, quam de facto sortitus est Legislator Ecclesiasticus, colligimus tum ex illo Matth. 16. v. 19. *Quodcumque ligaveris super terram, & quodcumque solveris, erit ligatum & solutum in caelis &c.* tum ex illo Joan. ult. v. 17. *pasce oves meas, pasce agnos meos.* Atqui hæc verba sunt generalia, ac sine restrictione ad actus externos concepta. Ergo etiam generaliter exaudiri debent per *sollicita 6. de Ad. & O.*

115 Neque dicas I. verba recitatae sententiæ tum D. Marthei, tum Joannis intelligenda esse de potestate, pro convenienti Ecclesiæ gu-

bernatione necessariâ; nullam verò necessitatem apparere de potestate præcipiendi interna.

Contra enim est I. quia potestas præcipiendi interna longè maximè est necessaria pro recta Ecclesiæ gubernatione, dum & animarum perfectio in calu & candore interno consistit, & omnium nostrum finalis beatitudo non actu & apparatu externò, sed interna sanctitate acquiritur.

II. quia jus & obligatio pacendi oves non tam circa corpora, quàm animas occupatur: quippe quæ à temporalibus abstrahi ad æterna, à sensibilibus trahi ad spiritualia & insensibilia debent. Ergo jus & obligatio pacendi, Summo in Orbe Christiano Capiti commissa, magis actus internos quàm externos respicit.

III. quia ex unanimi & perpetua Catholicorum interpretatione in præcatis S. Scripturæ locis æquè interni ac externi fori potestas D. Petri ejusque Successoribus collata dignoscitur. Nulla igitur ratio permittit, ut ad solos actus externos restringatur.

Neque dicas II. apud D. Joannem insinuari, quòd potestas oves pacendi non sit intelligenda quoad modum & medium internum, sed quoad modum & medium externum: nam in *cap. 10. v. 14.* dicitur: *ego cognosco oves meas, & cognoscunt me mea &c.*

Contra siquidem argumentor I. modus pacendi non legitur necessariò modum cognoscendi: cognitio enim incipit ab actibus externis, juxta illud, *nihil in intellectu, quod prius non est in sensu;* at pastura quoad oves non tam incipit ab actibus externis quàm internis, quatenus non tam externa corporis figura quàm animus & spiritus ad perfectionem Christianam enutritur.

II. etiam cognitio, quâ pastor bonus tenetur noscere & discernere suas oves, magis terminatur ad statum internum, quàm externum, prout Pastorum Optimus, Christus Dominus, exemplò docuit & verbò, *attendite, inquit, à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Matth. 7. v. 15.

Et quavis de statu interno nequeat ab homine certa haberi noticia per certitudinem physicam, poterit tamen haberi noticia certa per certitudinem moralem, dum ex habitu & conversatione externa præsumimus internam, juxta prudens effatum Philosophi dicentis: *salus quisque est, qualia dicit & agit.*

Probatur II. Ecclesiastica & Civilis potestas, cùm sint diversi ordinis, differunt essentialiter; non quidem ratione causæ efficiens: tum quæ à DEO proveniat, atque in persona S. Pontificis, qui simul Supremus Pastor & Princeps est, coadunetur; sed ratione causæ finalis, dum Potestas Regalis ad æternam & politicam Reipublicæ incolumitatem; Sacerdotialis ad internam, spiritualem, & æternam beatitudinem ordinatur. Id, quod apertè demonstravit Innocent. III. *cit. cap. 6. de Major. & Obed. ibi: ad firmamentum Cali, hæc est, universalis Ecclesia, fœcis DEUS duo*

lumi-

*luminaria magna, id est, duas infinitas dignitates, quæ sunt Pontificalis Auctoritatis & Regalis Potestatis. Sed illa, quæ præst diebus, id est, spiritalibus, major est; quæ verò carnalibus, minor &c.* Consonat Nicolaus Papa in *cap. sim ad verum 6. Dist. 96.*

Hòc jam supposito, sic discuro. Cui est concessus finis, etiam concessa sunt media, ad finem consequendum necessaria per *cap. præerea 7. de Off. & pot. Jud. deleg. l. cui Jurisdiclio 2. ff. de Jurisdicli. & ibi Interpretes communitè.* Sed potestas Ecclesiastica habet pro fine beatitudinem internam & supernaturalem. Ergo etiam ad obtinendam hæc beatitudinem habet opportuna media. Hæc autem alia non sunt, quàm actus interni, à quibus externi totam merendi aut demerendi vim accipiunt. Ergo actus interni cadunt sub dispositionem Ecclesiasticæ Potestatis.

125 Si dicas: Potestati Ecclesiasticæ, ad assequendum finem supernaturalem, sufficere facultatem, præcipiendi actus internos indirectè, & modò sensibili, quatenus cum externis conjuncti sunt; quemadmodum per Sacramenta abundè promovetur finis supernaturalis, tamen signa sint sensibilia, cum actibus

126 externis conjuncta. Contra est, & impugnatur responsio I. quod directè & immediatè ordinatur ad finem Legislatoris, illud directè & immediatè præcipitur: neque enim alia est ratio, cur Legislator Civilis directè præcipiat actum externum, nisi quòd directè serviat ad finem, à se intentum. Sed actus internus directè & immediatè ordinatur ad finem Legislatoris Ecclesiastici; actus verò externus solum indirectè & mediatè, in quantum ab interno radicelem & essentialem meritè virtutem emittat. Ergo actus internus directè & immediatè ab Ecclesiâ præcipitur.

127 Impugnatur II. etiam Civilis Potestas remotè ordinatur ad finem supernaturalem. Ergo etiam Civilis Potestas habebit indirectam facultatem præcipiendi actus internos & supernaturales: siquæ, nisi Potestati Ecclesiasticæ tribuatur facultas directæ in actus internos, non erit distinctio inter hæc & illam. Antec. si negare audeas, adduco Eminentissimum Cœlestinum Sfondrati, qui in verè Regali Sacerdotio *lib. 1. §. 17. n. 2.* sequentem in modum regè profectò differit. „ Finis (intelligè immediatus & directus) regni & temporalis gubernationis est felicitas temporalis, quæ in pace, divitiis, mutuis commerciis, quietà rerum suarum possessione, aliisque, quæ civem reddere possunt felicem, consistit; ita tamen, ut hæc ipsa felicitas temporalis ad finem altiorelem & supernaturalem reducat, veram videlicet fidem, Religionem, cultum DEI, exercitium omnium virtutum, quæ hominem decet, & quibus ad æternam felicitatem pervenitur. Cùm enim Regna sint à DEO constituta, idem finis regnantium esse debet, qui fuit DEI; hic autem propter seipsum suamque gloriam

„ Regna constituit. Et ideo Principes sæculi prius oportet, ut quarant regnum DEI & justitiam ejus, quàm bona temporalia; „ Matth. 6. v. 33. cùm ista sint media tantum, & illud finis Deuteronom. 17. v. 18. Hæc Cardinalis.

128 Impugnatur III. Autoritas Ecclesiastica potest præcipere actum internum cum externo conjunctum. Ergo etiam actum internum merum & separatum. Antec. constat ex *num. 106.* Conseq. prob. I. ideò actum internum cum externo colligatur præcipi. Autoritas Ecclesiastica, quia ad finem & scopum suum ejusmodi actum videt esse oppositum. Sed etiam actus internus merus & separatus est oppositus ad illum finem ex dictis. Ergo &c. II. non est ulla repugnancia, à S. Pontifice actum ex interno & externo compositum dividere, ac modò solum v. g. recitationem vocalem Breviarii; successu verò temporis insuper attentionem & devotionem internam præcipere valeat. Hòc autem casu actus internus directè terminaret Legem Pontificiam. Ergo &c.

130 Impugnatur IV. Quamvis Sacramenta tanquam visibilia signa, noscantur à DEO instituta, id tamen ex alia ratione factum non creditur, nisi quòd homo sit corporeus & visibilis, nec possit Ecclesia de susceptione vel collatione Sacramentorum suum acquirere experimentum, nisi per actus externos peragatur. Ut autem Sacramenta nobis salutaria reddantur, & gratiam conferant, signa verò actus externi non sufficiunt, sed præcipue spectantur actus interni, videlicet intentio ministris, nec non animus & dispositio susipientis. Ideò que Sacramenta, tanquam mystifica salutis media, potius internis quàm externis actibus perficiuntur.

131 Probatur conclusio III. Prælati Regulares potestatem præcipiendi interna, v. g. orationem pro mentealem, instructi sunt. Ergo etiam S. Pontifices eadem potestate gaudent. Antecedens quidem non ita certum esse, Neotericus quidam asseverat, veluti in meis thesibus existimaveram. Sed ego de illius veritate non dubito, si in dubium non vocetur regulæ & statuta SS. Ordinum, in quibus meditatio seu oratio pro mentalis præcipitur. Itaque prob. conseq. tum quia Prælati Regulares omnem præcipiendi virtutem ex voluntate & Autoritate Pontificia, à qua Regulæ & Ordines Regularium pendent, adepti sunt; tum quia non minus Christiani in susceptione Baptismi quàm Religiosi in emissionè Professionis, juratà sponsonè foro & fini Summæ & Sanctæ Sedis se fe subjecerunt. Ideò que discrimen, ab Authoribus adversè sententiæ in eo assignatum, quòd Religiosi per votum Obedientiæ Prælati Regularibus jus ad actus internos ultrò cesserint, non videtur esse sufficiens: præcipue, cùm voluntates omnium, Christianò nomine insignium, quibus utique nil magis internum & insitum habemus, per characterem & subjectionem Baptismalem



Principi Ecclesie Christianae Reſtori ſubditæ & ſubordinatæ ſunt.

133 Quodſi diſcrimen ulterius ex eo deſumas, quia per baptiſmum voluntates noſtræ non abſolute ſubſcribuntur Pontifici, ſed relative ad actus externos, quibuſcum aliquam con-

134 nexionem habent. Rurſus non ſatisfacis. Enimverò poteſt S. Pontifex voluntatem noſtram inhabilitare ad concipiendum votum v. g. caſtitaſ non ſolum quoad externam profeſſionem, ſed etiam quoad internam promiſſionem: quod evidens eſt argumentum, voluntates noſtras etiam quoad actus internos Pontifici ſubjectas eſſe

135 Probatùr IV. S. Pontifex de factò varias Leges de actibus purè internis edidit. Sic in Concil. Trid. *ſeſſ. 13. in Decreto de Sac. Euchariſtia omnibus Chriſti fidelibus interdicit, ne poſtbas de Sanctiſſima Euchariſtia aliter credere, docere, aut predicare audeant, quam ut ex hoc præſenti decreto explicatum, atque deſinitum.* Sic ab Alexandro VII. damnatur propoſitio: *qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſie.* Ideoque re ipſa præcipitur contritio vel attritio. Sic ab eodem proſcribitur ſententia, docens, hominem nullò unquam vitæ ſuæ tempore teneri elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Divinorum, ad eas virtutes pertinentium. Sic ab Innocentio XI. variæ opiniones circa actus internos, ad dilectionem DEI & proximi ſpectantes, reperiuntur proſcriptæ, & quidem in virtute S. Obedientia, & ſub interminatione Divini Judicii prohibentur omnibus fidelibus, ne prædictas opiniones aut aliquam ipſarum ad præcin deducant.

136 Nec juvat dicere, propoſitiones memoratas jam aliò Jure, Divinò ſcilicet, exauthoratas fuiſſe. Siquidem nil obſtat, quò minus uſus idemque actus à diverſis Juriſub actingatur, & ſi quis actum illum, à diverſis Juriſub prohibitum, faciat, contra ſingula Jura peccare, ſimulque poenas, à Jure Eccleſiaſti-

137 co ſtatutas, incurrere videatur. Quæ de cauſa, cum Trid. Concil. aliter credentibus, quàm ibi decretum fuit, anathema interminet, & illos tanquàm hæreticos condemnat, obnoxii erunt poenis, in hæreticos conſtitutis, quas etiam ob hæſin internam incurri, Authores planè Inſignes tradunt, ſi

138 ſcuti jam ſuo loco videbimus. Accedit, quòd ultima ratio, cur ejus generis ſententias non amplius tutà conſcientià vel docere vel tenere liceat, pendeat ex Authoritatè Eccleſiaſtica, quã ſepoſitã, propter extrinſecam probabilitatem in praxin ab aliquibus de-

139 ducantur. Quin & unica ratio, cur Sanctos, Cœleſtium Evergetum alio noviter adſcriptos, ut tales credamus, reſunditur in authoritatem Eccleſiæ, hunc vel illum per Canonizationem pro Sancto haberi mandans.

140 Objicies I. Potestas Legislativa eatenus Ecclesie à Christo communicata fuit, quatenus ad rectam fidelium gubernationem erat necessaria. Sed potestas præcipiendi vel pro-

hibendi actus purè internos non erat neceſſaria ad rectam Eccleſiæ gubernationem. Ergo &c. min. probat. Status Eccleſiæ non eſt Angelicus, ſed humanus, viſibilis, & ſenſibilis. Ergo etiam recta Eccleſiæ gubernatio debet eſſe humana, viſibilis, & ſenſibilis: ergo poteſtas præcipiendi actus internos, qui inviſibiles & inſenſibiles ſunt, non eſt neceſſaria ad rectam Eccleſiæ gubernationem.

Reſp. I. ex hoc argumento probari, ne qui-141 dem actus internos, cum externis conjunctos, rectè ab Eccleſiâ diſjunctos. Nam, ſicut actus internos, ab externo diſjunctos, non cadit ſub ſenſum; ita & actus internos, cum externo conjunctus. Nunquid enim baptizare, conſecrare, abſolvere, orare poſſum, abſque eo, quòd ullam intentionem vel attentionem habeam, eaque ulli hominum innotefcat?

Nec facit aliquid, quòd actus internos, ex-142 terno conjunctus, per hunc raddatur ſenſibilis: quoniam hæc ſenſibilitas non cadit ſub cognitionem ex poſitione actus externi, niſi per novum & diſtinctum actum ejuſmodi intentione vel attentione interna ab operante ſua ſponte manifeſtetur.

Reſp. II. negandò min. ex rationibus ante-143 ductis. Ad probationem dico: Eccleſiæ gubernationem viſibilem & ſenſibilem eſſe debere, ſi fiat relatio & appellatio ad ipſam Eccleſiam gubernatricem; ſecus, ſi relatio aut appellatio fiat ad fideles, ab Eccleſiâ gubernandos. Quia enim fideles non tantum corpore, ſed & animã conſtant; neque corpore, ſed animã paci & dirigi, à DEO, præſertim in ſtatu naturæ elevatæ, jubentur: ſanè ab omnibus concedendum opinor, directionem & gubernationem ex parte ſubditorum fidelium potiùs inſenſibili, quàm ſenſibili modò exerceri; licet quoad cauſam efficientem, ſeu Eccleſiam directricem, non diſtictar, ejus directionem ſenſibili modò, atque ad eòd Legibus Eccleſiaſticis, non in mente retentis, ſed publicè promulgatis, inſtituendam eſſe. Pro-144 ſectò, ſi, quid ſentiam, liberè velim pendere: arbitror, Eccleſiam in ſuis conſtitutionibus principaliter actus internos: minùs verò principaliter actus externos attendere, quatenùs hi vel medium conſtituunt manifeſtandi actus internos, vel neceſſarii ſunt ad externam diſciplinam, converſationem, & gubernationem. Idque colligo ex ſæpe memorato creaturæ rationalis ſine, qui, cum in ſtatu elevato ſit ſupernaturalis, modò quoque & mediò ſupernaturali obtineri debet.

Inſtabis: per actus internos non dari com-145 municationem inter fideles; conſequenter actus internos non cadere ſub Legem Eccleſiæ, quæ, cum viſibilis ſit & ſenſibilis, tales actus, per quos membra viſibilia inter ſe communicare ſolent, præcipere debet.

Reſp. negandò, non dari communicationem 146 per actus internos inter fideles. Quid enim? An non fideles Eccleſiæ militantis communicant cum Eccleſiâ triumphante & purgante? Et tamen hæc communicatio neutiquam eſt

eſt ſenſibilis, utpote cum neque Sancti in Cœlo, neque animæ in purgatorio videant vel audiant noſtras actiones in terris, neque, quid illi agant, nos ſenſibus externis percipiamus.

147 Quin & ipſi fideles, ſive præſentes, ſive abſentes reperiuntur, per actus internos, bonas nimirum intentiones & cogitationes, inter ſe communicare, ſuaque merita ſibi invicem conferre poſſunt; quemadmodum inter Religioſos ejuſdem & diverſi Ordinis perſequenter generalis communicatio honorum operum intercedit, Summò Pontifice tales communicationes largiente & approbante.

148 Objicies II. de quò humana Potestas nequit cognoscere, de eo nequit Legem condere. Sed humana Potestas, etiam Eccleſiaſtica, nequit de actibus internis cognoscere. Ergo &c. Major prob. Potestas Legislativa requirit ſimul Potestatem coactivam ſeu punitivam, quã ſi deſtituatur, vana ac ſine viribus eſt: dum Legem facillè ſpernunt, qui nullam tranſgreſſoribus poenam eſſe præſtitutam, non ignorant. Sed Potestas coactiva nequit exeri, aut exerceri ſine prævia cognitione & inſpectione ſuper delictum & delinquentem: eaque de cauſa cogitationes à poena liberat Ulpianus in l. cogitationis 18. ff. de Pen. pronuntiavit. Ergo &c. Prob. etiam prima

149 min. I. ex l. Reg. 16. v. 7. ibi: *homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* II. ex l. ad Cor. 4. v. 5. ibi: *noſte ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit aſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* III. ex cap. ſicut tuis 33. & cap. tuã vos 34. de Simonia, ubi ipſiſmet Pontifices fatentur, ſibi facultatem de manifeſtis duntaxat judicandi conceſſam eſſe.

150 Reſp. I. hunc oppoſitæ opinionis Achillem trinã retorſione ſterni poſſe. Prima eſt de actibus mixtis, quos à Legislatore tum Civili, tum Canonico imperari valere, non obſtante, quòd actus internos, etiam cum externo maritatus, humanam cognitionem effugiat, pro-

151 batum eſt in n. 107. & ſeq. Altera eſt de actibus occultis, qui ex omnium conſenſu æque præcipi ac puniri poſſunt, quàm manifeſti; & tamen, cum remotis arbitris committantur, humano judicio non ſubſunt. Neque facit in contrarium, quòd per accidens ſolummodò de actibus occultis non detur cognitio.

152 Nam, ut bene arguit Caramuel in *Theol. Moral. Fundam. n. 476. & ſeq.* quod per accidens non eſt cognofcibile, per accidens non eſt præceptibile & punibile; ſicut, quod per ſe eſt incognofcibile, per ſe eſt impræceptibile & impunibile. Ergo quia actus occultus per accidens ſunt incognofcibiles, ſecundum Aaos etiam per accidens impunibiles, & impræceptibiles manebunt. Quod cum admitti nequeat, niſi mille abſurda ſimul admittantur: admittatur neceſſe eſt, quòd ex actibus incognofcibilitate præcepti impoſſibilitas non rectè 153 deducatur. Idque non ſine energia ex

Concil. Trid. *ſeſſ. 24. de Ref. Matrimon. cap. 1.* roborari poteſt, ubi S. Synodus, tamenſi fateatur, Eccleſiam de occultis (intellige per acci-

dens, quia ſermo ibidem eſt de Matrimonio clam contracto) non judicare, nihilominùs circa actum occultum, Matrimonium nempe clandestinum, Legem prohibentem, ſimulque irritantem cum ſummo totius Eccleſiæ emolumento fancivit. Tertia eſt de Le-154 gibus poenalibus, quarum plurimæ in tranſgreſſores ipſò Jure ſine ulteriori ſententia conſtitutæ, nullam antecederent cognitionem præſupponunt. Ex quo ſatis arguitur, dari punitionem ſine cognitione de Delicto, etiam ſenſibiliter commiſſo.

Reſp. II. negandò maj. ad probationem 155 Reſp. maj. & min. propoſitionem itidem cum fundamento negari poſſe. Ad maj. quod attinet, non unã inſtantia demonſtrari poteſt, vim directivam & coactivam ſine abſurdo ſeparari. Patet ex Lege naturali, quæ licet principium & fundamentum ſit omnium Legum, ſolas tamen conſcientias ſine vi punitiva conſtringit. Patet in Summo Principe, qui, ex dicendis infra, Lege propriã quoad vim directivam tenetur, elto poenam ex tranſgreſſione non reformidet. Patet in perſonis Eccleſiaſticis, quæ Legibus Civilibus, in bonum communitatũ circa præjudicium Statũ Eccleſiaſtici promulgatis, obtemperare debent, abſque eò, quòd poenam, Legibus Civilibus impoſitam, incurrant. Propoſitionem 156

minorem, quod concernit, paulo ante memoratum eſt, ſexcentas Leges poenales inveniri, quæ actibus, quantumvis nemine conſciò admiſſis, excommunicationem, ſuſpenſionem, irregularitatem, infamiam, impedimentalia &c. ipſò factò, ſine ulla cognitione Judiciali, incurrenda, ſtatuunt.

Reſp. III. diſtinguendò minorem: humana 157 Potestas nequit de actibus internis cognoscere in forma judicii & ſententiæ, conced. min. in forma Legis & conſtitutionis neg. min. quæ ipſa reſponſio ad probationem minoris applicanda venit. Quantumvis enim humana & Eccleſiaſtica Potestas tantã potentia non fulgeat, ut ſecreta humanorum cordium penetret, & peccata, in abſcondito perpetrata, in forma, & figura judicii, quod teſtibus & inſtrumentis eget, diſcutiat. poteſt nihilominùs per Legem generalem ordinare, ut, quicumque in mente hæreſin fovere, ac propoſitioni contra fidem pertinaciter inharere auſus fuerit, excommunicationi latæ ſententiæ obnoxium ſe ſciat. Neque tunc opus eſt ſtrepitu forenſi, ut poena mandetur executioni; quandoquidem ipſa conſcientia, ſine factò hominis, ſceleris commiſſi vindicem ſuſtinet. Pla-158 nẽ cum Eccleſia eam Potestatem naçta ſit, ut internos quoque actus præmiare, ac pro mentali oratione, per menſem vel octiduum certis horis continuatã, Indulgentias impertiri valeat, veluti de factò ſimiles indulgas fuiſſe, monſtrant Religioſorum Privilegia apud noſtrum Reverendiſſimum Geiſſer de *Privileg. queſt. 2. n. 90. 93. 108. 111.* quæ vetat ratio, cur actus internos, v. g. hæreſis aut odium DEI ab Eccleſiâ puniri non poſſit?

Obſtat, aiſ, quia præmium ex Jurisdictione 159 voluit.



voluntaria; supplicium ex Jurisdictione contentiosa decernitur.

Mihime, replico ego, hæc ratio obstat. Nam æquæ Jurisdictio voluntaria, ac contentiosa, supponit actus sensibiles & cognoscibiles; aut neutra supponit. Tam parum enim laudabilis & meritorius potest cæteri actus, qui non cognoscitur; quam parum videtur potest actus vituperio & supplicio dignus, qui laetetur in oculis non scitur. Et, demus, actus voluntarie Jurisdictionis simplicis non requirere causæ cognitionem: saltem actus

voluntarie Jurisdictionis mixtæ, sive ut alii dicunt, qualificatæ, causæ cognitionem desiderant. Ergo quia S. Pontifex, dum in votis, solò animò nuncupatis, dispensat, exercet actum Jurisdictionis voluntarie mixtæ circa actum merè internum; potest quoque exercere actum Jurisdictionis contentiosæ circa eundem actum. Et hæc de hæc quæstione celebratissima; quam idè operosius examinare volui, quia sententiam oppositam à pluribus teneri, nostram econtrà à multis indefensam relinqui, compertum habui.

## §. III.

## Possuntne actus omnium Virtutum præcipi?

161 Virtutes in ordine ad propositum vel naturales sunt, seu, ut alii loquuntur, morales; vel supernaturales, seu, ut alii volunt, Theologicæ. Virtutes primi generis voco, quæ mores hominum secundum regulas sanæ rationis componunt. Virtutes secundi generis appello, quæ immediatè circa DEUM versantur. Videantur Sant-Gallenses tom. 5.

162 quæst. proem. Virtutes naturales utriusque abeunt in Cardinales, & non-Cardinales. Cardinales sunt Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Justitia; idè sic appellatæ, quia in illis, tanquam cardinibus, totius humanæ vitæ honesta institutio vertitur, ac universa boni operis structura nititur. Laymann. Theol. Moral. lib. 3. Sect. 2. num. 1. Sant-Gallenses cit.

163 loc. Non-Cardinales habent plurimas species, quas enumerare, præsentis instituti ratio non sinit. Eruditissimum de his libellum non ita pridem publici juris fecit Vir laudatissimus P. Anselmus Schramb in sua *Ethica part. 3.* De actibus dictarum Virtutum est quæstio, an sub Legem præceptivam veniant?

164 Dico I. Nulla Lege omnes actus omnium Virtutum præcipi possunt. Ita concludit re ipsa Suarez de LL. lib. 2. cap. 7. n. 11. Consentit quoque Legem Naturalem Gibalinus *Scientia Can. 1.3. c. 3. num. 7. & seqq.* Concordant Authores, postea citandi, qui, licet nominatim de humana Lege discurrant, idem tamen ex mente & modò loquendi de aliis Legibus sentire videntur.

165 Ratio est I. quia ex decisò & dictis à num. 8. Lex omnis respicere debet bonum publicum, atque adè ex num. 36. & seqq. non tantùm esse possibilis naturaliter, sed etiam moraliter. Id verò non fieret, si omnes omnium Virtutum actus præciperentur, eò quòd pars communitatis non parva plerumque jugum totæ Legum non tantùm grave, sed & intolerabile judicaret. Ergo &c.

166 Confirmatur & promovetur ratio ex Illustrissimo Reding locò mox referendò. Eò ipsò, quòd Lex sit actus prudentiæ, cujus est, ordinem inferioribus, sub omnimoda circumstantiarum congerie consideratis, imponere, oportet. Legem ita esse proportionatam capacitati subditorum, ut, istà non observatà

ob quandam moralem impossibilitatem, Lex non bene procedat. Ejusmodi verò impossibilitas moralis resultaret, si vel nimis perfecta rudibus imponerentur præcepta, vel multitudo præceptorum in vitiis cohibendis nimium increveret.

Ratio est II. quia complures Virtutum actus de consilio, non de præcepto sunt. Sic enim Paupertas, sic Castitas, sic Obedientia Evangelica, secundum omnes Catholicos, non sub præcepto injunguntur, sed sub consilio suadentur. Ergo Lex extat, aut extare potest nulla, quæ omnes actus Virtutum omnium cum obligatione præcipiat.

Dico II. Omni Lege, Naturali & Positiva, 168 omnium Virtutum Naturalium, tam Cardinalium quam non-Cardinalium, actus quidam præcipi possunt. Ita Augustinus Reding de LL. quæst. 16. art. 2. num. 12. P. Petrichacher de LL. quæst. 4. art. 8. P. Suarez de LL. lib. 3. cap. 12. n. 7. P. Laymann Theol. Moral. vr. 4. cap. 4. n. 1. Ratio est: quia omnes Virtutes naturales conducunt ad bonum commune, faciliùs obtinendum. Et quidem, si de bono spiritali & supernaturali differere velimus, utique nil adèo internam & externam hominum sanctitatem promovet; nil adèo pro cælo promerendo servit, quam actio Virtuosa.

Quodsi de bono temporali actus quietò Reipublicæ statu loquamur, quæ ratione expeditius & certius eundem nos assequi speramus, ac si ad tramites & limites Virtutum civium actiones insectentur? Confirmari hoc potest ab inductione diversarum Virtutum, quarum diversos actus à Juris Romani conditoribus fuisse præceptos, ostendit Clariss. D. Collega D. Franz ad tit. de Jure Nat. Gent. & Civ. p. 2. n. 6.

Equidem videri posset, actus Virtutum non-Cardinalium v.g. Liberalitatis & Mutilicentia, consilii magis quam præcepti esse, neque tam bono publico quam privato lavere. Optimè tamen huc scrupulo occurrat laudatus Suarez de cap. 12. num. 10. dicendò: neque impossibilem esse casum, quò actus ejusmodi Virtutum aut omnino necessarii, aut valde convenientes existent succollandæ Reipublicæ; neque, si casus fingeretur impossibilis, omnem planè potestatem circa eosdem

dem actus Legislatori humano ademptam fore, cum modò iis & mensuram saltem præscribere valeat.

171 Dico III. Actus Virtutum supernaturalium per se non cadunt sub Legem Humanam Civilem. Videtur esse certa conclusio. Totam quippe Civilem Potestatem est ordinis naturalis: ergo ad actus ordinis supernaturalis sese extendere, aut erigere nequit.

172 Dixi: sub Legem Humanam Civilem. Quòd

## §. IV.

## Verum actus præteriti constituant objectum Legis?

173 N cap. cognoscens 2. c. quoniam ult. de Constitution. & l. 7. Cod. de LL. pro regula traditum habemus: Leges & constitutiones futuris tantummodò negotiis formam dare, ad facta autem præterita non revocari, nisi nominatim, & de præterito tempore, & adhuc pendens negotiis casuum sit. Cujus regulæ sensus, ut magis innotescat, oportet distinguere inter Legem imperativam & declarativam; præcipientem, punientem, ac irritantem. Quæ distinctione præmissa, regulam distinguo, &

174 Dico I. Lex imperativa non habet pro objecto actum præteritum. Abbas Panormitanus in d. cap. cognoscens num. 1. & 2. Gonzalez ad idem cap. num. 15. Fagnanus ad d. cap. ult. num. 4. Suarez de LL. lib. 3. cap. 14. num. 8. & omnes Interpretes ad cit. Juris textus. Ratio est I. quia Lex imperativa est regula actuum humanorum, indicans & indicens, quid agendum vel omittendum sit. Sed actus præteriti, cum jam facti & positi supponantur, non cadunt sub regulam de agendo vel omittendo. Ergo etiam non cadunt sub objectum

175 Legis imperativæ. II. quia præcipi vel prohiberi nequeunt actus impossibiles ex n. 78. & seqq. Atque actus præteriti respectu novæ Legis, præcipientis vel prohibentis, sunt impossibiles, cum ex tritissimo adagio, in Jure quoque in cap. si Paulus 11. XXXII. q. 5. receptò, facta nequeant infecta fieri. Ergo &c.

176 III. quia ex num. 21. Lex non promulgata non obligat. Ergo actus præteriti non cadunt sub obligationem Legis: horum quippe respectu Lex subsequens ita se habet, ac si promulgata fuisset nunquam.

177 Neque refert, quòd sententiæ judiciales, quæ in cap. ult. de Constitut. in 6. Legibus equiparari videntur, negotia præterita respiciant. Præterquam enim quòd sententia, cum jus inter litigantes tantummodò faciat cap. cum inter 13. de Sent. & re judic. planè improprie Legis nomine compellitur; insuper magis rationem Legis declarativæ, quam imperativæ habet: quid autem obtineat in Legibus declarativis, dicam in conclus. 3.

178 Dico II. Lex proprie pœnalis & vindicativa non extenditur ad actus præteritos, si antecedenter à nulla Lege fuerint prohibiti. Ita Authores anterioris assertionis. Ratio primi membri est: quia Lex proprie pœnalis fertur ob præcedentem culpam. Ergo, cum actus præteriti, antecedenter à nulla Lege prohibi-

enim Ecclesiastica Potestas, uti ordinis est supernaturalis, ita & de supernaturalibus disponere valeat, dubitare non sinit textus in cap. firmiter 1. & c. damnatus 2. de Summa Trin. cap. si quis pœnum 1. cap. de quibus 2. cap. non ne 1. de Baptismo cap. cum Martha 6. de Celebrat. Miss. cap. omnis utriusque 12. de Pœnit. & remiss. Exorav. unigenitus 2. eod. tit. Concil. Trid. Sess. 24. de Refor. c. 1. & 12. item Sess. 21. de Refor. c. 2. & vix non in singulis capitibus & canonibus.

ti, culpa sint immunes, juxta primùm decisà; erunt quoque immunes pœnâ.

Scio equidem in cap. quoniam 40. de Simonia 179 decretum esse, ut Moniales, quæ pretiò simoniaco ingressum sibi ad Monasteria parârunt, unâ cum aliis, quæ pretiò simoniaco se fecerunt participes, ex isto Monasterio expellantur, atque in aliud, & arctius, pœnitentiæ peragendæ causâ, detrudantur. Quæ ipsa pœna etiam ad illas Moniales, quæ ante hoc decretum simoniaco erant receptæ, & professæ, eò effectu extenditur, ut è loco Professiois in aliud ejusdem Ordinis Monasterium admittantur.

Verùm hoc decretum neutiquam impugnat assertum conclusionis membrum. Non enim Lex imperativa & novi Juris constitutiva, sed veteris Juris declarativa est, veluti ex cap. non satis 8. & cap. de Regularibus 25. eod. tit. patet, ubi referuntur anteriores constitutiones, quibus simoniaco ad Monasteria ingressus ab aliis Pontificibus super ejusdem pœnæ comminatione erant interdicti. Gonzalez ad cit. cap. cognoscens de Constit. n. 19.

Ratio alterius membri est: quia actus, contra Legem prohibentem exercitus, cum bonos mores, privatam & publicam salutem, offendant, Legis indignationem provocat. Ergo fieri potest Lex pœnalis, quæ actus, antecedenter contra Legem prohibentem exercitus, castiget.

Dixi tamen in conclusione notanter I. Lex proprie pœnalis. Enim verò pœnæ improprie dictæ, seu potius inhabilitates, quæ non tantum ex culpa, quam ex causa induci solent, quales sunt irregularitates, impedimenta Matrimonii &c. rectè ad actus præteritos extenduntur per cap. deinde opponitur 3. Dist. 26. ubi ex bigamia irregularitas esse dicuntur etiam infideles, ad fidem nostram conversi, qui in infidelitate duo contraxerunt matrimonia. Tunc temporis verò infideles necdum suberant Legibus Ecclesiasticis. Ergo irregularitas illa ad actum præteritum, nullâ profus Legem comprehendit, retrahitur. Similiter 183

quid extat in Trident. Concil. Sess. 23. de Reformation. cap. 6. ubi Clerici, in minoribus pro tunc constituti, ante decimum quartum ætatis annum inhabiles ad beneficia Ecclesiastica pronuntiantur. Suarez cit. cap. 14. n. 9. Ra-184  
tio est: quia Legislator habet jus distribuendi bona & jura communia. Ergo ex causa potest



rest quasdam conditiones & qualitates in iis, qui ad bona & jura communia aspirant, exigere; & alios, qui ejusmodi dotibus non fulgent, excludere. Hæcque exclusio nullatenus habet rationem pœnæ, ut in simili advertimus in *trac. de Praescript. cap. 2. n. 28.*

185 Dixi II. *de vindicta.* Quod si enim pœna medicinalis, seu censura Ecclesiastica imponenda sit, non sufficit, actum contra Legem simpliciter prohibentem præcessisse; sed ipsius censuræ comminationem jam antehac factam fuisse, requiritur: quia enim censura ex parte censurandi desiderat tum contumaciam per *cap. ex parte 23. de V.S.* tum scientiam latæ censuræ per *cap. ult. de Constit. in 6. effectum* exferre nequit respectu illorum, qui contra Legem simpliciter prohibentem peccarunt, utpote qui justissimam & necessariam censuræ ignorantiam obtendere possunt.

186 Unde in *cap. proposuisti 2. in fin. Dist. 82.* sanctum reperimus, Clericos, incontinentem viuentis, non incurere censuram, antequam notitiam Legis Ecclesiasticæ, censuram ferentis, acceperint; non attentò, quòd incontinentia Jure Divinò & Naturali sit illicita. Videantur Sylvester in *summa Verb. ignorantia num. 14.* & P. Engel ad *rit. de Sen. Excommunicat. num. 10.*

187 Neque posteriorem hanc limitationem infringit *cap. cum tu 5. de Usuris*, ubi Alexander III. pœnam privationis & exclusionis tam à communione, quam sepultura Ecclesiastica, in Concilio Lateranensi contra manifestos usurarios interminatam, ad retentionem illarum quoque usurarum, quas impli fœneratores ante decretum prænominati Concilii extorserant, ampliari, & applicari jubet. Nam ipsa usurarum, omni jure prohibitarum, reventio graviter erat peccaminosa: cum juxta *cap. sepe contingit 18. de Rescript. spoliat. non multum interfit quoad periculum animæ, injusse detinere, ac involvere alienam; nec, ut habet Augustiniana pœnemia in eod. cap. cum tu recitata, ante dimittatur peccatum, quam restituatur ablatum.* Ideòque eadem pœnâ tam exactores quam detentores usurarum coercendos in *alleg. loco. S. Pontifex jure merito judicavit. Gonzalez d. l. num. 17.*

Dico III. Neque Lex irritans ordinariè potest attingere actus præteritos, nisi contra Legem prohibentem processerint. Panormit. in *cap. ult. de Constit. n. 11. Suarez d. cap. 14. n. 11.* Ratio prioris partis est: quia actus, legitimè & validè celebratus, contrahentibus novum jus parturitur. Jus verò, privatis legitimè & validè acquisitum, nequit Legislator ordinariè tollere, prout in *§. seq. ex professo* concludemus. Ergo nequit ordinariè actus, contra nullam Legem prohibentem initus, per Legem subsequentem irritari. Ratio posterioris partis est: quia actus, Legi prohibenti adversus, pœnam promeretur ex *n. 86.* Ergo etiam in pœnam irritari potest, præsertim cum ex dicendis suo tempore omnis Lex prohibens regulariter loquendò simul irritans esse censetur. Pro hac parte relegi & expendi debent textus in *ll. ult. Cod. de Publ. l. ult. Cod. de Publ. pignor. 2. Fend. tit. 55.*

Dico IV. Actus præteriti ad materiam Legis declarativæ pertinent. Fagnanus in *ci. cap. ult. de Constit. n. 45. & seqq. Felinus ibid. num. 4. Vasquius Illust. controuv. cap. 44. n. 2. Suarez d. l. n. 3. & communissimè DD.* Deducitur ex *cap. ut Lex 40. XXVII. q. 1. cap. ult. de Sponsa duorum cap. gaudemus 8. de Divortio*, & innumeris propemodum Juris utriusque, præcipue Decretalium & Codicis, constitutionibus, que ut plurimum ad declarationem Juris dubii præexistens emanarunt. Ratio est: quia Lex declarativa non est regula actionis, in futurum ponenda, sed explicatio & interpretatio actionis, de præterito jam positæ. Ergo actus præteritus ad materiam Legis declarativæ pertinet. Confirmatur ex citato Vasquio: quia Lex declarativa nihil denudò agit, sed, quod actum jam erat, deregit *arg. l. heredes 21. §. 1. ff. Qui testam. fac. non aliter ac si pias excusserit frumenti, granæque antea occulta exinde profuerint; quòd casu nihil granorum te fecisse, verum est, sed eà tantum, quæ ibi inerant, detexisse l. adeo quidem 7. §. 7. ff. de A. R. D.* Ergo licet regulariter futura negotia Leges intueantur, non etiam præterita, tamen, cum sint non tam novi Juris inductoria, quam declaratoria; etiam præterita comprehendere possunt.

## §. V.

### Possitne jus subdito quæsitum per Legem auferri?

184 **F**UERE, scribit Clariss. P. Wiestner ad *rit. de Constit. num. 47.* suntque hodie, qui Summo Principi id pro sua voluntate arbitrio faciendi, potestatem omninò absolutam adstruere conentur; eamque in dubium & questionem vocare, sacrilegio proximum arbitrentur *arg. l. disputare 3. Cod. de Crim. Sacrilleg.* Horum Antesignanus dicitur esse Angelus in *l. item s. verberarum 15. §. 1. ff. de R. P.* & alibi; ejusque vexilla nonnullis ex antiquioribus tenere, si Principes hoc faciatis de plenitudine potestatis, & ex certa scientia, & cum clausula derogatoria vel motu proprio, refert Anto-

nus Gabrielis de *Jure quæsitio non toll. conclus. 1. num. 1.* Quid huic sententiæ, inspectis iustitiæ & veritatis principis, tribuendum sit, sequentibus conclusionibus explicò, &

Dico I. Princeps Supremus neque vi ordinariæ, neque vi potestatis absolutæ, potest sine causa jus subdito quæsitum auferre per Legem. Andreas Gail. *lib. 2. observat. 56. n. 2.* Joachimus Mynsinger *Singular. observat. contur. 5. obs. 97.* Covarruv. *lib. 3. Var. Resolut. cap. 6. num. 8.* Vasquius *Illust. controuv. cap. 5. num. 16.* Hugo Grotius de *Jure Belli & Pacis lib. 2. cap. 14. n. 7. & 8. & lib. 3. c. 20. num. 13.*

Jacobus

### Possitne jus subdito quæsitum per Legem auferri?

Jacobus Bernardus Mulz. *Repræsent. Majest. in prolegem. cap. 2. num. 57.* Clariss. D. Hermasius Hermes *Juris publ. cap. 11. n. 87.* Clariss. D. Antonius Guillelmus Ertl de *Juribus Principum Exercit. 3.* Clariss. P. Wiestner *cit. loc. num. 49.* Eximius D. P. Anselmus Schramb *Erbitica p. 1. a. 8. §. 3. q. 8.*

196 Probatur I. ex Sacris Literis, ubi Ezechielis *46. v. 18.* legitur: *non accipiet Princeps de hereditate populi per violentiam, & de possessione eorum, sed de possessione sua hereditatem dabit filiis suis, ut non disperantur populus meus unusquisque à possessione sua.* Deinde *3. Reg. c. 21.* refertur historia Naboth, cujus vineam, dum Rex Achab jure regio occupaverat, mox per Eliam, Divinò oraculo, audire debuit: *occidisti, & possidisti.* Quin & vindictam Numinis illicò tenit, dum, ut narratur *4. Reg. c. 10. v. 9. & seqq.* Achab unâ cum tota familia deleretur est. Nempè *propter injustitias Regnum de Gentem in Gentem transferret.* *Ecl. 10. v. 8.*

197 Probatur II. ex Jure Naturali, cujus præcepta cum sint, neminem lædere, jus suum cuique tribuere, bona semel acquisita inivitis non auferre, cum damno alterius locupletior non fieri *§. Juris 3. Inst. l. iustitia 10. §. 1. ff. de J. & ff. l. nam hoc 14. ff. de Condit. indeb. æque à Principe quam privato custodienda sunt: neque enim plenitudo Summæ potestatis eâ autoritate splendet, ut Jus illud, in recta ratione fundatum, atque barbaris quoque Gentibus impressum, intringere, aut evertere pro libito possit.*

198 Probatur III. ex Jure positivo humano in *c. ult. l. q. 1. cap. ad aures 8. cap. ad audientiam 31. cap. mandatum 38. de Rescript. cap. ult. eod. in 6. Extravag. Joannis XXI. sedes 1. & ad Apostolicum. 2. de Concess. præb. §. sed hoc 2. Inst. De his, qui sui vel alieni juris &c. l. prator ait 2. §. 16. ff. Ne quid in loco publ. l. quoties 2. l. rescripta 7. Cod. de Precib. Imperat. offer. l. de contractu 3. Cod. de Rescind. Vendit. l. ambobus tenet 3. Cod. Unde vi. l. nec sunt 4. Cod. de Emancipat. lib. 1. Fend. tit. 7. in quibus locis habetur partim, Principes non velle; partim, non posse jus tertio adimere, minuere, aut violare. His autem Legibus obstringi Principes, eò minus dubitandum, quòd communis in eam itum est sententiam, Legislatorem indirectè saltem propriis teneri Legibus, maxime si ex transgressione scandalum aut injuria suboriat per *§. ult. Inst. Quib. mod. test. infirm. & l. ex imperfecto 23. ff. de Legat. 3. ne contra intentionem Imperatorum in l. meminere 6. Cod. Unde vi. inde injuriarum nascatur occasio, unde Furta nascuntur.**

199 Probatur IV. Subditi in rebus acquisitis jus proprietatis obtinent, possuntque in usus proprios & alienos res suas convertere *l. in re mandata 21. Cod. Mandati.* Ergo Principes proprietate illarum rerum carent: ergo neque accipiunt de illis pro libito disponere. Confirmatur: tum quia dominia vel Jure Gentium vel Naturali, vel utroque introducta, non possunt ab eo, qui Juribus hiis reverentiam debet, seu auferri, seu confundi: tum

quia Principes ipsimet fatentur, se bonorum sibi subjectorum non dominos sed patres esse, nec tam prodigere, quam protegere velle *l. si quis filium 34. Cod. de Inst. testam. Nov. 8. cap. 8.* Unde Hadrianus Imperator dixisse fertur: *ita se gesturum Rempublicam, ut sciret, populi rem esse, non suam.*

Probatur V. Leges, ut legitimæ sint & justæ, publicam utilitatem provehere, & promovere ex fine primario debent. Sed Leges, quibus sine causa subditis bona & jura quæsitâ tolluntur, ex fine primario publicam utilitatem non provehunt, aut promoveant, sed submovent, & suffocant. Ergo legitimæ non sunt & justæ. Certè boni Principes magis amant Republicam, quam sibi compendium, ad exemplum Tiberii, qui subditibus Præsidibus augeri tributa, rescriptis: *boni pastoris esse, rondere pecus, non degubere.* Qui etiam, Authore Suetonio, affirmare solebat, *bonum & salvatorem Principum debere servare Senatus, & sapie universis civibus, & plerumque etiam singulis.*

Qui Principibus assentantur, opponunt primò ex Sacro Codice illud. *1. Reg. cap. 8. v. 11. hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis: agros vestros, vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis &c. Servos quoque vestros & ancillas auferet, vineasque eritis servi ejus.* Sed nihil ad propositum. Non ponuntur adducta verba assertivè, sed narrativè; non approbatur, sed narratur tantum despoticum gubernandi modus, quem per os Prophetæ Samuelis Genti Hebrææ Divina Nemesis est comminata.

Opponunt II. dati in Summo Principe potestatem quandam extraordinariam, quamvis ali dominium eminens; alii jus absolutum; plerique plenitudinem potestatis appellant. Hujus virtute posse Principem vincula Legum dissolvere, circa subditorum bona ordinare, ac facere ea, quæ potestatem ordinariam alioquin excedunt. Verum, ut taceamus prædictam distinctionem potestatis Principalis à cit. Covarruvia *d. cap. 6. n. 8. & D. Ertl cit. loc. Exercit. 6.* tanquam commentitiam, Juriumque candori inimicam, gravissimè reprehendi: non satis capio, vel DEI, vel Naturæ beneficidò cuiquam hominum indultam fuisse potestatem, Divina & Naturalia Jura pessumdandi. Nam, ut pulchrè scribit Vasquius *d. loc. n. 17.* tanta potestatis amplitudo, non potestatis, sed tempestatis plenitudo nuncupanda foret. Quia & impossibilem moraliter ejusmodi potestatem fore, discimus ex jam supra commendata *l. filius 15. ff. de Condit. Institut.* Idque Augustissimus Imperator Ferdinandus II. documentò immortalitati transcribendò significavit, quando in maximis quoque periculis constitutus constanter affirmabat: *malè se Imperiò fortunisque omnibus excui, & cum universa sua familia stipem asiatam colligere, quam, Majestatis tuenda causa, contra Jus fasque admittere aliquid.* Eximius P. Anselmus Schramb *cit. §. 3. p. m. 100.*

G

Oppo-